21167/B

... Crompton...

Ex Dono. Autori...

Edinensis. Maii.

1784.

DUNCAN

CASUS MEDICINALES

ET

OBSERVATIONES.

CASUS MEDICINALES
EX
DIARIO VALETUDINARII
PUBLICI EDINBURGENSIS SELECTI,

CUM NOTIS ET ANIMADVERSIONIBUS,

Quæ materiem præbuerunt Prælectionibus clinicis, *annis* 1776—7, *habitis*

A B

ANDREA DUNCAN, M. D. ET P.
Valetudinarii Pub. Edin. Med. Col. Reg. med. Ed.; Societat. Reg. Med. Pariſ. Hav. Edinb. Philoſoph. Edin. & Americ. Socio.

Ex Anglico Idiomate in Latinum Vertit

DIONYSIUS RYAN, M. D.
Soc. Phyſic. Edin. Socius Honorarius, & Præſes Annuus; atque Noſocom. Milit. Jamaic. Adjutor Medicus.

Cujus Obſervationes de *Febribus Remittentibus* Indiæ Occidentalis ſubjunctæ ſunt.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud LUZAC et van DAMME,
MDCCLXXXIII.
1783

Medicinæ faciendæ plane neceſſaria ſunt hæc duo lumina, Ratio atque Experientia. Utrumque per ſe indigens, alterum alterius auxilium poſtulat.

SIBBALD.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

VIRO

REVERENDISSIMO

ET

CLARISSIMO,

JACOBO BUTLER,

CASILIÆ ET IMLIÆ

ARCHIEPISCOPO

NON MINUS PIETATE,

QUAM SUAVISSIMA MORUM COMITATE,

INSIGNI,

OMNIBUS DENIQUE VIRTUTIBUS

DOMUS ANTIQUISSIMÆ ET ILLUSTRISSIMÆ

ORNATO;

QUI ME IN REBUS LÆTIS ET ADVERSIS SUA AMICITIA SUSTINERE DIGNATUS EST,

HUNC LIBRUM, IN LEVE TESTIMONIUM ANIMI GRATISSIMI ET DEVINCTISSIMI,

D. D. D.

DIONYSIUS RYAN.

DIONYSIUS RYAN CASILIENSIS LECTORI S. P. D.

Magnopere dolendum eſſe videtur, eorum, qui artem ſalutiferam promovere ſtudent, alios ſyſtematibus condendis, alios meræ ſingularium caſuum ac medicamentorum relationi, nimium animos adhibere. Hi etenim, ad tædium potius excitandum, quam ad veram ſcientiam promovendam, tendunt, atque recto quaſi tramite ad empirismum ducunt; illi vero plerumque animum vanis imaginibus oblectant, & in libris, quos de morbis corporis humani conſcribunt, ſubtiliſſimis ſpeculationibus æque indulgent, acſi de rebus metaphyſicis ageretur. Qui autem clinicas, vel caſuales prælectiones recte tradit, is hos errores facile evitat. Natura enim duce, morborum phænomena, colligit & recenſet, iisque rite propoſitis, cauſas ſymptomatum, ac methodum medendi rationalem conſtituere conatur, nullam

omnino theoriam admittens, niſi quæ factis quadantenus innitatur; idemque generalibus obſervationibus non contentus, ſingularium caſuum naturam, & indolem cura qua poteſt maxima perpendit: difficultates in illis occurrentes, quatenus fieri poteſt, explicat: quid in quoque caſu agendum, quid evitandum; quando prompte, quando tarde, ac deliberato conſilio & ſuſpenſo quaſi pede pergendum, oſtendit.

Satis manifeſtum eſt, eos, qui talis Præceptoris prælectiones, vel viva voce traditas, excipiunt, vel literis mandatas legunt, antequam ipſi medicinam facere incipiunt, experientiam multorum annorum quodammodo conſequi poſſe. Itaque nil mirum eſt, hunc librum, qui prorſus ex hujuſmodi obſervationibus conſtat, in Britanniâ, atque in exteris regionibus magno cum applauſu acceptum fuiſſe. His ego laudibus facile adduci me paſſus ſum, ut verſionem ejus Latinam crediderim minime ingratam illis fore, qui propter linguæ Anglicæ inſci-

ſcitiam, ejus merita pernoſcere non poſſint. Valde mihi & jucundum fuit, quum Pariſiis eſſem, intelligere, hoc conſilium illuſtriſſimæ Societati Medicæ Pariſienſi placuiſſe, & ſua approbatione dignum eſſe viſum; ſpero igitur & alios Viros doctos illud non inutile habituros.

In ipſa verſione me ubique magis ſtuduiſſe fidelis interpretis officio, quam verborum elegantiæ, vel ſtili admodum compti laudibus, ultro fateor, & facile perſpicies L. B. Nunc ſcias etiam, me has prælectiones *Edinburgi* excepiſſe, ægrosque, de quibus in illis agitur, diligenter obſervaſſe; ſic facile credes, me ſaltem a Cl. Auctoris mente non multum diſcedere potuiſſe.

Nec omitti æquum eſſet, licet non nihil temporis, ac laboris, in hac verſione conficiendâ impenderim, eam veriſimiliter in publicum non prodituram fuiſſe, niſi vir clariſſimus, Johannes David Hahn, mea vota ſecundare dignatus eſſet, qui ut publicam grati animi teſtificationem meretur, ſic meis ta-

men laudibus minime indiget. Nec ſilentio prætermittendus eſt Vir optimus, SAMUEL FOART SIMMONS, Medicus *Londinenſis* eruditiſſimus, qui mihi ab *Angliâ* diſcedenti, hoc opuſculum & res meas curæ ſibi fore pollicetur. Hujus igitur, atque illius, erga me amicitiam & beneficia gratus ſemper recordabor. Quod ſupereſt, te, Lector benevole, rogo & obſecro uti tuâ me indulgentiâ ſuſtineas, alterum tomum, ſimulac in lucem prodierit, tuos in uſus edere paratum.

Dabam *Londini*

a. d. VII Calend. Martii anni MDCCLXXX.

* * *
* *
*

VITA

DIONYSII RYAN, M. D.

Societ. Phyſic. Edinb. *Socii*, *atque*

Noſocomii militaris Jamaicenſis *Adjutoris.*

DIONYSIUS RYAN anno 1746 natus eſt in pago *New Park* prope urbem *Caſiliam* in *Hiberniâ* ab honeſtis parentibus, qui adhuc vivunt, & agriculturæ ibidem operam dant.

In hac urbe plures annos incumbebat linguis addiſcendis ſub auſpiciis reverendi Domini HARE, cumque *Græcam* æque ac *Latinam* linguam probe calleret, per aliquod tempus præceptoris munere fungebatur liberorum Domini *Pierce Creagh*, in comitatu *Clare* habitantis.

Verum circa annum 1775 Academiam *Edinburgenſem* petebat, atque in ea lectionum Cl. Virorum CULLEN, MONRO, BLACK, reliquorumque celeberrimorum Profeſſorum, usque ad annum 1778 aſſiduus erat auditor; tunc *Pariſios* ſe conferebat, atque in ea urbe annum circiter manebat, ac dein in *Remenſi* univerſitate Medicinæ Doctor creabatur. In *Angliam* dein reverſus, atque ſequenti anno Adjutoris medici Noſocomii militaris in inſulâ *Jamaica* munere ornatus, hanc inſulam petebat, verum manifeſtis jam tunc incipientis Phthiſeos ſymptomatibus erat afflictus.

Menſe

Menſe Martio anni 1780 navem conſcendebat, & primo menſis Auguſti die anni ejusdem in inſulam *Jamaicam* appellebat, poſtquam integros quinque menſes in navi tranſegerat.

Iter autem non fuerat injucundum, nam in multas in *Indiâ Occidentali* ſitas inſulas, nempe *Barbados*, *St. Luciam*, *St. Chriſtophorum*, & alias deſcendebat, ita ut aliquam earum notitiam acquiſiverit. Prope inſulam *St. Luciam* navis, in quâ erat, jungebatur claſſi ſupremi Ducis Navalis RODNEY, & cum illa usque ad inſulam St. *Chriſtophori* nomine inſignitam eundem tenebat curſum: Proxime inſulam *Martinicam*, ac alias *Gallorum* dominio ſubjectas inſulas, prætervehebatur, absque ut aliquid mali illi accideret.

In hoc itinere ex militibus, qui in hanc inſulam (*Jamaicam*) tranſportabantur, non minus quam trecenti in mari ſepulti ſunt, quod non tantum tædioſo itineri, ſed & febribus, & alvi fluxibus, quibus afflicti naves conſcenderant, adſcribi debebat.

Ipſe RYAN admodum defatigatus in hanc inſulam veniebat, atque ſtatim Domino POWELL (*), Medico hujus inſulæ ſupremo in urbe *Kingſton* degenti, adjungebatur, ac poſtquam milites in terram venerant, non minus quam centum & tri-

(*) Hic Medicus menſe Novembri 1780 mortuus eſt.

triginta, febre & dyſenteriâ laborantes, qui omnes uni cohorti nempe $93^{iæ}$ erant adſcripti, curandos habebat.

„ Hinc (ut in Epiſtolâ, ad Medicum SIMMONS die 2do Septembris 1780 datâ, ſcribebat) „ quis non crederet, hanc inſulam peregri-
„ nis admodum inſalubrem eſſe, verum dimi-
„ dia horum ægrorum pars jam duos vel tres
„ menſes dyſenteriâ laboraverat, & fere omnes
„ erant inſanabiles, quoniam nulla ferre pote-
„ rant remedia. Ii autem, (ſic pergit) qui-
„ bus ſtatim atque dyſenteriâ corripiuntur,
„ ſuccurritur, facile ſanantur, ac illis maximâ
„ cum utilitate, poſtquam, quæ prius adhiberi
„ debent, remedia in uſum tracta ſunt, datur
„ infuſio ſucci Japonici, cui parva Laudani
„ quantitas addita eſt. In febribus infuſio Cor-
„ ticis Peruviani in multis caſibus, etiam ante-
„ quam intermiſſio obſervatur, neceſſario dari
„ debet, & poſt finitum paroxysmum hunc Cor-
„ ticem damus in ſubſtantiâ ad tres vel quatuor
„ uncias in 24 horarum ſpatio. In tribus caſi-
„ bus adeo violentis vomitibus, ac alvi fluxi-
„ bus bilioſis una cum febre ægros afflictos
„ vidi, ut abſolute iis impoſſibile eſſet, quid-
„ quid etiam ageretur, Corticem aſſumptum
„ retinere, atque hi, licet omnes valde robuſti
„ eſſent, circiter intra 48 horarum ſpatium
„ moriebantur ".

Hæc & reliqua, quæ de febribus in inſulâ *Jamai-*

Jamaica endemiis ſcripſit, luculenter demonſtrant, quam diligens fuerit, & quantam adhibuerit attentionem. Certe erat vir admodum ſagax, ac ingenioſus, & optimus Naturæ obſervator, pluraque adhuc obſervaſſet, majorique reliquis hominibus fuiſſet utilitati, niſi impediviſſet ejus valetudo. In Epiſtolâ, quam ſcripſit *Kingſtoni* in inſulâ *Jamaica* ad Medicum Simmons die 18 menſis Februarii anni 1781, ſequentia de ſe ipſo refert.

„ Adverſa valetudo, quacum luctari debui, ex „ quo huc veni, me impedivit, quo minus tan„ tum, ac munus, quo fungor, mihi permit„ teret, profecerim. Verumtamen tanquam „ valetudinarius ſatis bene me habui, imo hic „ meæ valetudinis ſtatus quodammodo, ut ita „ dicam, me præſervat contra morbos pericu„ loſiores, quibus ii, qui meliori fruuntur ſa„ nitate, & robuſtiori corpore gaudent, in „ hocce climate præcipue expoſiti obſervan„ tur ".

„ Morbus, quo laboro, tuſſis eſt, qua, uti „ reminisci poteris, jam eram afflictus, cum „ adhuc *Londini* degerem. Summa temperan„ tia, & exactiſſima vivendi norma, una cum „ nonnullis medicamentis, meam non melio„ rem reddere potuerunt ſanitatem. Cum me „ mari credideram, in initio meliori fruebar „ ſanitate, verum ſalutares itineris effectus cito „ malo corporis habitu vincebantur; ita ut

„ mor-

„ morbus pejor fieret. Calor, qui in hacce
„ inſula nimius eſt, venti validi, qui indies
„ hic obſervantur, ex ſeptentrione flantes ven-
„ ti, qui noctu percipiuntur, mihi non bene
„ conveniunt, præcipue in urbe *Kingſton*, ubi
„ in Thermometro Mercurius ſæpe ad gradum
„ 92dum adſcendit, etiamſi ſit ſuſpenſum in
„ umbrâ: in interioribus autem hujus inſulæ
„ partibus, & in ſeptentrionali ejus parte,
„ plerumque gradum monſtrat 75tum; ita ut,
„ quicunque liber eſt, hic vivere poſſit in tali
„ aëris, qualem deſiderat, temperie. Nuper ſex
„ hebdomades tranſegi in ſeptentrionali hujus
„ Inſulæ parte, ubi aër tam temperatus, ac ſalu-
„ taris eſt, quam in *Angliâ* aut *Hiberniâ* tempore
„ æſtivo. Illic quavis horâ indies equo vel
„ rhedâ vehi poteram, ſed in urbe *Kingſton*
„ ſolem perferre non poſſum inde ab horâ
„ octavâ matutinâ usque ad quintam poſt meri-
„ diem, idque vel in hoc menſe, cum Tu ve-
„ riſimiliter *Londini* percipis frigus glaciale, ac
„ nivem vides. Per quatuor menſes ægrorum
„ curam fere nullam habere potui, cum meæ
„ ipſius valetudinis curam præcipue & unice
„ gerere debuerim. Duobus tantummodo fe-
„ bre flavâ laborantibus ægris medicinam feci,
„ atque hi ſunt mortui. Hæc febris nunc
„ multo rarius obſervatur, quam antea".

Cum autem ejus valetudo paulatim infirmior redderetur, venia illi data eſt in *Angliam* rede-

deun-

deundi æſtate anni 1781: igitur iter huc verſus aggreſſus, menſe Auguſti ejusdem anni ad nos veniebat, ac ſtatim urbem *Briſtolium* petebat. Poſtquam illuc venerat, multo melius ſe habebat; viribus multò majoribus gaudebat, ac tusſis illi parum afferebat incommodi; rus dein petebat, & in amœnâ villâ aliquot milliaria ab illa urbe diſtante duas circiter hebdomades degebat, ibique caprilli lactis ſero utebatur; aquam dein rurſus bibebat *Briſtolienſem.*

Verum non diu durabat melior hic valetudinis ſtatus. Menſe Octobri *Londinum* revertebatur admodum emaciatus, admodum anhelus, tuſſi perpetuâ vexatus, ac febre hecticâ laborans. Plures dein hebdomades degebat in amœno pago, ad Fluvii *Tameſis* ripâm ſito, *Richemond* dicto, decem circiter milliaria *Londino* diſtante. Ibi manebat usque ad initium anni 1782, tunc rurſus *Londinum* petens, qua in urbe degebat usque ad finem menſis Aprilis. Verum, licet vires ejus admodum eſſent exiguæ, & ne vel commodæ rhedæ motum absque magnâ defatigatione ferre poſſet, nunc conſilium capiebat in patriam, *Hiberniam* videlicet, redeundi. Plures nempe jam hebdomades diarrhœâ laboraverat, & perſuaſum ſibi habebat, iter maritimum admodum ſalubre ipſi futurum.

Quotidie pauca tantum milliaria progreſſus quarto die veniebat in urbem *Reading*, 39 millia-

liaria *Londino* diſtantem, ac ſitam in viâ, quâ itur *Briſtolium*, in qua urbe navem, *Hiberniam* petentem, conſcendere volebat. Verum, cum in illa urbe eſſet, ſe adeo debilem ſentiebat, ut mortem inſtare crederet. JOANNES MOORE, honeſtus civis *Readingenſis*, cui per epiſtolam a Medico SIMMONS ſcriptam erat commendatus, in hac triſti conditione illum in hoſpitio publico inveniens curavit, ut in civis cujusdam domum transportaretur, in qua duo in illa urbe habitantes Medici TAYLOR & PELLET ejus curam ſummâ cum humanitate & aſſiduitate geſſerunt, usque ad 16tum diem menſis Maji, quando vitam cum morte mutavit. Cadaver ejus in hac urbe ſepultum eſt.

Plures menſes, ante mortem, adſueverat omni veſperâ laudano uti; ante ejus uſum abjecto erat animo, & quaſi viribus exhauſtus; verum paucis, poſtquam illud aſſumpſerat, minutis, color in facie floridus apparebat, ingenioſe admodum loquebatur, ac multas horas erat hilaris, & contentus. Verſus finem ejus vitæ effectus hic non percipiebatur, niſi magnam hujus remedii ingereret quantitatem. Hoc remedio ad mortem usque uſus eſt.

Staturæ erat proceræ, boni habitus, ac humanus. In conſortio ingenii acumen monſtrabat, ac hilaris erat. Amicus erat integer, ac Religionis vim probe habebat perſpectam. Romano-Catholicæ religionis principiis inde ab in-

ſantiâ impertitus ſincere; ſed absque ſuperſtitione, manſit addictus. Paucis ante mortem diebus Dominum Moore rogabat, vellet ipſi Romano-Catholicæ religioni addictum Sacerdotem mittere. Hoc Vir ille lubenter fecit, ac Sacerdos, poſtquam advenerat, Ægrum ſacramento munivit; qui tunc ſe pacato eſſe animo profeſſus, atque Amicum ſuum Moore allocutus, „ *quidquid*, inquit, Humeus *& alii*, *de hoc* „ *momento dixerunt*, *omnemque eorum Philoſophiam vana eſſe*, *atque fidem in Deo ſolam me* „ *ſuſtinere*, *& conſolari*, *nunc experior* ".

Reverendus Dominus Jacobus Butler, titulo Archiepiſcopi urbis *Caſiliæ* in *Hiberniâ* inſignitus (*), eum inter cariores amicos habebat, ac ſæpiſſime literas ad illum dabat. Reverendus ille Vir, & morum probitate, & magnâ eruditione inſignis, in literis ad Medicum Simmons datis non tantum amici mortem propinquam valde doluit, ſed etiam multa ad vitam ejus pertinentia communicavit, e quibus hæc biographia concinnata eſt.

(*) Archiepiſcopi & Epiſcopi, Romano-Catholicæ religioni addicti, qui in *Hiberniâ* habitant, ſed a Magiſtratu tanquam tales non agnoſcuntur, *hoc titulo tantummodo inſigniti* dicuntur.

PRÆFATIO AUCTORIS.

Hunc librum editurus, cauſas, quæ me ad eum publici juris faciendum impulerunt, memorare nolo: at neceſſe eſt, ut ipſius operis naturam paucis exponam.

Lectori ipſe libri titulus indicabit, ex duabus eum partibus conſtare: quarum una caſus ſpectat medicinales, ex diario Valetudinarii publici Edinburgenſis *ſelectos; altera notas, & animadverſiones, in prælectionibus, quibus hi caſus materiem præbuerunt, traditas.*

Votis & deſiderio multorum juvenum Edinburgi *medicinæ operam dantium ſatisfacere cupiens, primus in hac urbe ſuſcepi prælectiones habere ſuper caſus ægrorum, morbis chronicis laborantium. Quod inſtitutum ut melius ſuccederet, illis ægris, qui prælectionibus materiem ſuppeditarent, quos parvo numero requirebam, medicamenta gratis dare propoſui. Sed multitudo egenorum quotidie ſollicitantium, ut in hujus liberalitatis partem admitterentur, effecit, ut brevi poſt Va-*

letudinarium publicum in urbe inſtitueretur. In eo caſus nonnulli adeo peculiares, tantique momenti noſtris prælectionibus materiem præbuerunt, ut judicarem, eos non leviter prodeſſe poſſe, etiam ultra ſphæram, cui primitus deſtinati erant. Hoc igitur conſilio ſelecti ex multis caſus & obſervationes publico nunc examini ſubjiciuntur.

Caſus ac relationes ſubſequentes, ut fideles factorum *commentarii, eduntur. Equidem non dubito fore inter Lectores, qui nec ſingularitatem, nec utilitatem horum factorum tanti eſſe, putent, ut magnam attentionem mereantur. Sæpe dictum eſt, præcipue ab his, qui in medicinâ ratiocinationes theoreticas practicis obſervationibus præferunt, publicationem factorum ſolitariorum, quæ ad nullam generàlem concluſionem ducunt, momenti admodùm levis eſſe; atque hac de cauſâ non magis proficuum exiſtimari poſſe, caſus ſingulares edere, quam eos narrare, qui cuique in praxi quotidiana neceſſario occurrunt. Qui autem praxin ſuam, non iis, quæ imaginatio ardens ſuggerit, ſed ſecundum facta, & uſu pro-*

probata, dirigere ſtudet, is profecto juſtam analogiam meræ ſpeculationi anteponet. Quin immo devotiſſimus theoriæ fautor agnoſcere debet, dum facta ſuæ opinionis baſin conſtituunt, non niſi a factis ingenioſas ſuas conjecturas ſatis confirmari poſſe. Itaque, practici, cujuscunque ſint factionis, unanimi voto optare debent, ut facta accurate memoriæ tradantur, & omnibus innoteſcant. Et, ſi nonnunquam caſus, vix attentionem digni, in publicum emiſſi ſunt, multo certe magis dolendum eſt, plurima facta, quibus ars medica multum locupletari poſſet, quotidie perire, eorum propter negligentiam, quibus talia ſeſe offerunt; vel, ad ſummum, uni tantum ac ſoli obſervatori, & anguſto ſuorum amicorum circulo, prodeſſe; quum eorundem, ſi in lucem edita eſſent, utilitas multo latius pateret. Igitur mihi facta, ex quibus ipſe aliquem in arte fructum percepi, publice narranti non videtur venia petenda; utique conſilium, quo ducor, probatum iri confido.

Facta, quæ in hoc libro continentur, minutas præcipue ſymptomatum deſcriptiones;

morborumque progreſſus, & fideles effectus remediorum relationes comprehendunt.

Sed obſervari æquum eſt, hiſtorias morborum tempore, quo ægri admittebantur, notatas, a me ipſo non exaratas fuiſſe. Has etenim D. GUILIELMO BROWNE, *ex agro* Eboracenſi, *D.* SAMUELI BYAM ATHILL, *ex inſula* Antigua, *D.* CAROLO DARWIN, *ex oppido* Litchfield, *acceptas refero; qui, dum medicinæ ſtudio* Edinburgi *operam dabant, mihi, diverſis temporibus, adjutorum munia in Valetudinario præſtiterunt. Accurationem, qua præſtantes hi Viri iſto officio ſunt perfuncti, Lectores ipſi velim æſtiment. Ego hoc ſolummodo dicam, niſi maximam fiduciam in eorum judicio, & attentione, poſuiſſem, me iis nunquam fuiſſe munus demandaturum, cujus rectâ functione mea fama multum nitebatur.*

In delineandâ cujusque caſus hiſtoriâ, eos in univerſum monui, primo, ut ægri conditionem, nullâ morbi ratione habitâ breviter enarrarent, memorando ætatem, ſexum, temperamentum, vitæ genus, aliasque res, quæ

ejus

ejus conſtitutionis naturam elucidare poſſent: dein, ut plenam darent deſcriptionem omnium ſymptomatum, quibus æger, cum ſuam narrabat hiſtoriam, laborabat: porro ut morbi progreſſum referrent; poſtea etiam cauſas remotas enumerarent, quæ ad morbum inducendum ſymbolam contuliſſe exiſtimari poſſent: ac poſtremo, ut remedia ante admiſſionem ſumpta, cum eorum effectibus, memorarent. Hic ordo, licet neceſſario propter caſuum diverſorum varietates, ſubinde mutari debuerit, tamen in univerſum, maximâ ex parte, obſervatus eſt.

In relationibus deſcriptioni caſuum ſubnexis, quæ medendi conſilia indicant, & pro hiſtoriæ continuatione haberi poſſunt, hanc fere viam tenui, ut primo obvios memorem effectus medicamentorum, quæ exhibita erant: deinde mutationes, quæ in ſymptomatibus contigerunt; poſt hæc nova phænomena, & principalium functionum conditionem; hisque expoſitis ultimo ad præſcribenda tranſeam medicamenta, quæ morbi ſtatus tunc temporis indicare videbatur. Enimvero multum abeſt,

ut affirmem, hanc facta medica recenſendi methodum reprehenſionibus non obnoxiam eſſe. Sed tamen, ſuper ea ſæpius meditanti, mihi ſemper viſa eſt diſtinctam, & accuratam præbere notitiam earum rerum omnium, quas Medicorum maxime intereſt, tum de morbis, quorum ſingularis natura eſt, tum de effectibus remediorum, quæ nondum in frequenti uſu ſunt, cognoſcere.

Sic explicato breviter ordine, quo facta ſunt enarrata, proximum eſt, ut de methodo, qua animadverſiones ſuper his factis traditæ ſunt, nonnulla dicam. Jam notatum eſt, has obſervationes primo ſub formâ clinicarum, vel caſualium, prælectionum prolatas fuiſſe; nunc vero in publicum prodeunt, eodem prope habitu, quo illis, qui me audire dignati ſunt, traditæ fuerunt.

Sæpius in ea me eſſe ſententiâ profeſſus ſum, quod vix ulla praxin medicam docendi methodus animo concipi poſſit, quæ ad utilium præceptionum communicationem magis accommodata ſit, quam clinicarum, vel caſualium, prælectionum. Equidem utilitates, ex iis re-

redundantes, plurimum omnino pendent a præceptoris ſcientiâ & judicii acumine. Et ut omnes, quos poſſunt, fructus proferant, non ſufficit, ampliſſima medicinæ cognitio, experientiæ etiam diuturnæ juncta; ſed inſuper, attentio mentis indefeſſa & in proponendis obſervationibus juſta methodus neceſſariæ ſunt. Enimvero innumerarum difficultatum, quibus medicina adhuc premitur, & meæ imbecillitatis conſcius, ſatis prævideo, has obſervationes non cuique lectori æque utiles apparituras; atque minime dixerim, noſtram methodum optimam eſſe, quæ excogitari potuiſſet. Si vero ponamus, Practici cujusque finem ultimum eſſe, morbos cognoſcere, atque curare poſſe, hunc ſcopum mearum obſervationum baſin conſtituere, dicendum eſt. In his igitur, quæ de caſibus particularibus notavi, præcipue in votis erat, nomen, naturamque morbi deſignare; generalia indicare conſilia, quibus curatio veriſimillime perfici poſſet; ac remedia memorare, quæ maximam felicis ſucceſſus ſpem poſſent præbere. Sed cum ſæpe opinio Practici de eventu morbi æque ejus famam

mam afficiat, ac judicium, quod in eo tractando oſtendit, quædam etiam de prognoſi dicuntur, cujus fundamenta attentionem merentur magnam unius cujusque, qui artem ſalutiferam exercet. Cum enim infauſtus, qui non prævidebatur, eventus multum exiſtimationi ejus nocebit, tum ex felici præſagio majorem ſæpe famam, quam ex prudentiſſimâ medendi methodo reportabit.

Notandum autem eſt, me quoad prognoſin in prælectionibus mentem magis aperuiſſe, quam in praxi fieri oporteret; &, ſi meæ conjecturæ non ſemper bene fundatæ fuerunt, ad minimum, ut ſpero, oſtendent, nihil certo concludendum eſſe, etiamſi adſit probabile judicii ferendi fundamentum.

Sed, quamvis obſervationes de nomine, atque indole cujusque morbi, de prognoſi, & praxi, maximam operis partem conſtituant, tamen concedendum eſt, non raro alius generis obſervationes prolatas eſſe. Nonnunquam, datâ occaſione, ex caſibus particularibus, peculiaris doctrinæ argumenta deduxi, nec non conjecturas, quas nonnulli fortaſſis, ut imagina-

ginationis commenta, ſpectabunt. Verumtamen ſpero, me tali occaſione locutum eſſe, ea cum diffidentiâ, quam rei obſcuritas poſtulabat; &, ſi mea opinio, de naturâ quorundam morborum, ac medicamentorum operatione, a dogmatibus, generaliter receptis, differat, reminiſci oportet, ea etiam ipſa haud indubitabili eſſe evidentiâ fundata. Meræ opiniones, licet non omnino veritate innixæ, ad praxin ducere poſſunt, quæ artem medicam promovere valet; ac ſuppoſitiones, quæ nunc conjecturæ habentur, in poſterum tamen obſervationibus confirmari poſſunt. Hæ igitur, in quantum nos a legitima praxi non detorquent, attentionem merentur; & ſpero, mihi non amplius neceſſarium fore, tales proferendi veniam rogare.

Dato brevi hoc operis conſpectu, reſtat, ut Lectores, ſeriâ eorum, quæ continet, initâ conſideratione, de eo judicium ferant. Hoc me judicium poſthæc quadantenus determinabit; &, ſi hic tomus ea benignitate receptus fuerit, ut credere mihi liceat, eum in medici-

dicinâ verſatis non ingratum fuiſſe, quando materiem notatu dignam colligendi data fuerit occaſio, alterum fortaſſe publico examini ſubmittam.

Edinb. 1 Oct.
1777.

E L E N C H U S.

CASUS I. Obſervationes de Epilepſiâ, uſu Cupri Ammoniaci ſanatâ - - Pag. 1.

—— II. Obſervationes de tumore abdominis, dubiæ indolis, feliciter terminato. - - - - 15.

—— III. Obſervationes de quodam cutis morbo, externo Mercurii Sublimati Corroſivi uſu feliciter ſanato. - 24.

—— IV. Obſervationes de affectione Rheumaticâ, uſu Elixirii Guajacini volatilis ſanatâ. - - - - 32.

—— V. Obſervationes de Catarrho chronico. - - - - 43.

—— VI. Obſervationes de hepatis morbo, Mercurialibus medicamentis tractato. - - - - 52.

—— VII. Hiſtoria Efflorescentiæ Petechialis abſque ſymptomatibus febrilibus feliciter ſanatæ. - - 63.

—— VIII. Obſervationes de cancroſâ quadam affectione in mammâ, in qua Electricitas fuit tentata. - - - 75.

—— IX. Obſervationes de Hæmorrhoidibus. - - - - 83.

CA-

Casus X. Obſervationes de Menorrhagiâ, Cortice Peruviano tractatâ. - - 91

— XI. Obſervationes de Amenorrhœâ, Electricitate ſanatâ. - - 105.

— XII. Obſervationes de Tineâ Capitis, externâ Mercurii Corroſivi Sublimati, & Æruginis, applicatione, curatâ. - - - - 114.

— XIII. Obſervationes de ſymptomatibus anomalis, a Febre Intermittente orientibus, Cortice Peruviano tractatis. - - - 124.

— XIV. Obſervationes de Dyſphagiâ, Electricitate curatâ. - - 132

— XV. Obſervationes de Paralyſi, Electricitate tractatâ. - - - 142.

— XVI. Obſervationes de Diarrhœâ cum dejectionibus ſanguinolentis, diverſis adſtringentibus tractatâ. 148.

— XVII. Obſervationes de Gonorrhœâ venereâ, cum examine, num ex eadem materiâ contagioſâ, quæ Syphilidem producit, Gonorrhœa pendeat, an ex aliâ diverſi generis. - - - 155.

Casus XVIII. Obſervationes de Hydrocephalo cranii. - - - 176.

—— XIX. Obſervationes de quodam caſu, in quo peculiaris morboſa ſenſibilitas unius Manus occurrit. 187.

—— XX. Obſervationes de Convulſionibus, pilulis Cæruleis ſanatis. - 196

—— XXI. Obſervationes de gravibus inteſtinorum doloribus periodicis, uſu Pilularum Gummoſarum ſanatis. - - - - 206.

—— XXII. Obſervationes de pertinaci Affectione Cutaneâ, ad Genus Lepræ pertinente. - - 213

—— XXIII. Obſervationes de Hæmoptyſi. 224.

—— XXIV. Obſervationes de violentis doloribus Ventriculi & Inteſtinorum, ex flatibus ortis, ac uſu Aſæ Fœtidæ ſanatis. - - 237.

—— XXV. Obſervationes de Lumbricis in tubo inteſtinali nidulantibus, Calomelane & Tincturâ Jalappæ eliminatis. - - - 245.

Casus XXVI. Obſervatio de Verme, ex Tæniarum genere, quinquaginta circiter pollices longo, e canali inteſtinali radice Filicis maris pulveriſatâ, dato dein cathartico, eliminato. - - - 250

Oratio de Laudibus Gulielmi Harvæi. - 259.

Obſervationes de Febribus Remittentibus in Indiâ Occidentali Endemiis, factæ a D. Ryan. - - - - 277

CASUS MEDICINALES

CUM

ANIMADVERSIONIBUS PRACTICIS.

CASUS I.

Obſervationes de Epilepſia, uſu Cupri Ammoniaci ſanata.

JACOBUS LIND, puer undecimum circiter ætatis annum agens, in valetudinarium admiſſus die 7°. Novembris 1776, colore decoro, habitu macilento, ac forma gracili, inſultibus epilepticis laborat, qui, ſemel plerumque ſingulis hebdomadibus recurrentes, nullam periodum certam tenent. Sub inſultu ſenſus ſunt aboliti: graves patitur pedum, ac brachiorum, convulſiones: & ſpumas ex ore movet. Hoc in ſtatu per ſemihoram propemodum manere ſolet. Tunc quaſi ex ſomno expergiſcitur, atque de levi capitis dolore queritur, omnium, quæ modo paſſus erat, inſcius. Pulſus 108; alvus regularis; lingua humida; appetitus naturalis;

Hi paroxyſmi quatuor circiter abhinc annis inceperunt, & iisdem propemodum phænomenis, quibus in præſentiarum ſunt, inde ab initio ſtipati erant; ſed in principio rarius, & minori ſævitia, recurrebant.

Nullam cauſam particularem noſſit, cui adſcribi posſent. Sed conſtanter habitavit in eadem domo cum matre ſua, quæ diu ſimiles affectiones perpesſa eſt, atque ſemper in eodem cum illa lecto decubuit.

Nulla adhuc data ſunt medicamenta, ad hoc malum curandum.

Capiat pilulam cæruleam unam ſingulis noctibus cubitum iturus.

Die 16to Novembris. Primæ pilularum doſes ei aliquam ægritudinem creârunt, at nullum unquam vomitum. Unum tantum habuit paroxysmum, ex quo pilulas ſumere cœpit; qui tamen fere gravior, utique pertinacior ſolitis fuit.

Animadverſiones in hunc Caſum die 30imo Novembris propoſitæ.

Hic puer morbo laborat, qui multis titulis ei ſimilis eſt, quo mater, cujus etiam curam nunc gerimus, affecta eſt. Vix dubitamus, morbum ejus *Epilepſiam* nuncupare. Hujus rei plenam fere evidentiam præbent motus convulſivi, qui paroxysmos, certis intervallis repetitos, comitantur. Equidem certum eſt, in paroxysmis hyſtericis, qui procul dubio morbum indolis valde di-

diverſæ conſtituunt, phænomena quodammodò ſimilia occurrere; & ſane aliquando perdifficile eſt inter hos morbos diſcrimen ſtatuere; ſed in hoc caſu vix datur, credo, dubii locus. Ab ipſo Ægri ſexu quadantenus colligere licet, morbum eſſe epilepticum. Virilis enim Sexus, quamvis non nunquam, tamen raro, Hyſteriæ obnoxius eſt. Præterea, multa ſymptomata, familiariter Hyſteriam comitantia, præſertim tubi inteſtinalis affectiones, hic deſunt. Æger ſenſum pilæ, gulam verſus rotantis, vel *globi*, ut dicitur, *hyſterici*, quod a multis ſymptoma hujus morbi pathognomonicum habetur, nunquam expertus eſt. In paroxyſmis ſpumæ ex ore moventur, quod, licet parvi eſſe momenti videatur, raro tamen, vel nunquam genuinis paroxyſmis hyſtericis ſupervenit. At plenaria ſenſuum abolitio, quæ paroxyſmos comitatur, ſymptoma eſt, quod præ cæteris jam recenſitis hunc morbum perfecte diſtinguit. A paroxyſmis liberatus, conſcius non eſt eorum, quæ ſibi contigerunt. Ex alterâ parte, in paroxyſmis hyſtericis, quamvis ægri loquelâ priventur, vident tamen, quæ circum circa accidunt; audiunt, quæ dicuntur, & præterita reminiſcuntur. Ex his igitur ſimul ſumptis hunc ægrum Epilepſia laborare, pronuncio.

Sponte nunc quæſtio ſe offert: Cuinam cauſæ hæc Epilepſia tribuenda ſit? Ægrum eam à matre accepiſſe præſumitur, quæ quippe diu

ſimili morbo laboravit, antequam pueri morbus incepit. Sed, licet hinc probabile ſit, morbum a matre provenisſe, dubitandi tamen locus eſt de modo, quo iſte tranſitus ſit factus. Epilepſiam hæreditariam esſe ab omnibus conceditur; atque plurimi etiam contendunt, eam inter illos morbos, qui contagione propagantur, locum mereri. Itaque inquirendum eſt, utrum hujus ægri morbus alteri ex his cauſis adſcribendus ſit; an vero ſit ſimilius, a neutra eum profectum esſe?

Multa obſtant, quominus ſupponere poſſimus, in hoc caſu morbum hunc hæreditarium esſe. Certiores quippe facti ſumus, nullum ex ejus cognatis tali malo laborasſe: ac mater ejus in hunc morbum incidisſe dicitur ex violenta animi agitatione, nata ex ſubita morte mariti, quæ, demum aliquot annis poſt hunc filium natum elapſis, accidit.

Epilepſiam morbum esſe indolis revera contagioſæ, qui ſcilicet contactu propagari posſit, opinio eſt, quæ, quoad video, nullo probabili argumento ſuſtentatur. Sed bene notum eſt, morbos naturæ contagioſæ nequaquam participes cum iis, qui delicatulo ſunt corporis habitu, *imitatione*, ut ita dicam, facile communicari. In Hyſteriâ hujus rei notabile exemplum habemus. Quando enim plures hoc morbo laborantes in eodem conclavi intra noſocomium detinentur, obſervari ſolet, unius paroxys-

roxysmo inſultum alterius excitari; atqui vero quod Hyſteriæ reſpectu obtinet, idem facile credi poteſt valere in Epilepſia, cujus paroxysmi ſcenam multo terribiliorem exhibent.

Itaque hujus ægri morbum, non ut ſequelam infectionis, ex decubitu in eodem cum matre lecto tractæ, conſiderari vellem, ſed ex frequenti, quam habuit, occaſione matrem paroxysmis conflictatam videndi profectum. Neque hoc primum eſt exemplum, quod mihi veriſimilem fecit opinionem, Epilepſiam in corporibus delicatis ſimili etiam cauſæ adſcribi debere. Haud multis abhinc menſibus, in Regio Noſocomio ægris medicinam faciens, caſum vidi, quem præclarum hujus rei documentum esſe putavi.

Prognoſis, quam in hoc caſu facere auſim, minus ominoſa eſt, quam plerumque in Epilepſia fieri ſolet; attamen nihilominus fatendum eſt, me nequaquam certa ſpe curationis perficiendæ lactari. Verum quidem eſt, Epilepſiam, etiam cum levisſima ſit, nunquam non refractarium morbum esſe; attamen nullam hic video cauſam, unde imminens periculum timeatur. Pro certo quidem haberi non poteſt, ægrum Epilepſia laborantem in proximo paroxysmo vitam cum morte non commutaturum; ſed in univerſum ad hos morbos pertinet, qui plus terroris, quam veri periculi, afferunt; atque nonnunquam per totum vitæ, etiam valde pro-

tractæ, curſum majori, quam in præſenti caſu, ſævitiâ excurrit. Præterea, cum morbus ſit, qui aliquando ſaltem ſanari potuit; æque magnam in hoc caſu, ac in pluribus aliis, ſpem ſuccesſus habere posſumus. Nihil certe nobis credere ſuadet, ejus morbum a cauſa aliqua fixâ & immobili provenisſe; &, quum hicce puer nunc ejus ſit ætatis, ut multæ illi ſubeundæ ſint mutationes, ab his ſolum, etiam abſque remediorum auxilio, effectus ſperare licet, ad ejus mobilitatem imminuendam idoneos. Imo non deſpero, morbum ejus, bona tractatum methodo, ſi non ſanari, certe mitiorem reddi, posſe.

Sanari hunc ægrum, hoc in ſtatu, duobus posſe modis, credo; amovendo ſcilicet cauſam excitantem, vel mutando vis nerveæ ſtatum ita, ut cauſa excitans priſtinos edere effectus deſinat.

Poſteriori modo hunc ægrum curare aggresſus potentiſſimum, quod mihi notum eſt, tonicum præſcripſi; *Cuprum*, nempe, *Ammoniacum*. Hoc remedium in Epilepſia ab aliquo tempore multis in uſu fuit, & plures credunt, in variis id caſibus, magno cum fructu adhibitum fuiſſe. In hoc igitur Epilepſiæ caſu, quem non plane inſanabilem esſe puto, id experiri, ac juſto ſubmittere examini, cupio: &, quò certius ejus effectus nobis innoteſcant, ei nullum aliud medicamentum adjungam. Sed, ut

aliæ

aliæ cupri præparationes, hæc etiam magnis viribus prædita eſt; ac propterea magnâ curâ adminiſtrari debet, ab exigua doſi initium faciendo, ac dein doſin gradatim augendo, quoad æger ferendo ſit; ut ſcilicet videre poſſimus, quanta ſit adverſus hunc morbum in hoc remedio vis.

Si hoc medicamentum, tali inſtituto periculo, votis non reſponderit; animus eſt, ei aliud adjungere, quod aliquatenus ejusdem esſe naturæ puto, *Flores* ſcilicet, vel potius *Calcem Zinci.* Auctoritate Cl. ODIER, Medici *Genevenſis*, fretus, hoc experimentum faciam. Ille, ſcilicet, cum utrumque remedium, ſeorſim adhibitum, ſperato caruerat ſuccesſu, a tali combinatione, ſe bonos vidisſe effectus, putat, &, quod quodammodo peculiare videri poteſt, obſervavit, non necesſarium esſe, alterutrius doſin imminuere; ex ejus quippe obſervationibus liquet, ægrum absque ulla moleſtia, utriusque remedii, invicem mixti, eandem quantitatem ferre potuiſſe, quam ferre potuiſſet, ſi unum ex his duobus ſeorſim aſſumpſerat.

Etiamſi vero utraque hæc medicamenta fruſtra fuerint adhibita, omnem tamen ſpem hunc ægrum ſanandi non abjiciam; nam eadem remedia, in provectiori ætate adhibita, hunc morbum forte debellare poterunt; &, ſi nunc, poſt rite inſtitutum experimentum, bono carent ſuccesſu, Corticem Peruvianum & Balneum fri-

gidum tentare licebit. Quodſi hæc omnia nullum afferant levamen, omnis mihi ſpes ablata erit, fore ut huic ægro nunc utilis ſim, quamvis tamen minime dixerim, cum poſthac non ſanatum iri. Sed, qualem hic caſus exitum habitura ſit, majori forſitan jure dici poterit, quando experimenta jam propoſita inſtituerimus.

Ejusdem Caſus Continuatio.

Die 30mo Novembris. Nullam habuit ægritudinem ex pilularum continuatione; & nunc paroxysmi ejus minus ſunt frequentes, neque iisdem, quibus antea, de cauſis oriuntur.

Capiat pilulas cæruleas duas omni veſpere & pilulam unam omni mane.

Die 14to Decembris. Nullum ad hunc usque diem paroxysmum habuit, quamvis per aliquot dies pilulas intermiſerit. Cæterum ſecunda fruitur Valetudine, ac inter dormiendum ab inſultibus epilepticis liber eſt, quibus frequenter antea afficiebatur.

Continuentur pilulæ cæruleæ, ſed capiat unam ſolummodo ſingulis noctibus cubitum iturus.

Die 21mo Decembris. Pilulam ſingulis noctibus aſſidue ſumpſit, & adhuc a paroxysmo liber permanet.

Continuentur pilulæ cæruleæ, ut antea.

Die 28vo Decembris. Ne vel minimum quidem ſignum convulſionum, quos paſſus fuerat antea, ſe manifeſtat; ſed poſt ultimam pilulam

jam aſſumptam vomitus ſupervenit, ac exinde de appetitus defectu queritur.

Intermittantur pilulæ cæruleæ, & capiat pulveris Corticis Peruviani ſcrupulum unum omni veſpere & mane.

Die 4to Januarii. Nulli huc usque epileptici inſultus ſe manifeſtant, &, ex quo pilulas cæruleas non amplius asſumpſit, nullam pasſus eſt ægritudinem. Dimittatur.

Animadverſiones in hunc Caſum die 11mo *Januarii propoſitæ.*

Supra jam dixi, hujus ægri morbum Epilepſiam esſe, & eam a matre contractam poſui, eadem ratione, qua alii morbi nervoſi, imitatione ſcilicet. Ex quo morbum tractare cœpi, nihil me meam de eo opinionem mutare coëgit, quamvis tamen agnoſcere debeam, eum multo melius cesſiſſe, quam ſperare potueram nam nullum novi remedium, cui in hujus mali cura multum confidere poſſumus, & propterea, in omni caſu eventus admodum ſit incertus, oportet.

Obſervavi autem jam antea, me Epilepſiam hoc in caſu multo ſanabiliorem credere, quam in multis aliis caſibus, & quidem propter cauſam, quam hic morbo huic originem præbuisſe putabam: felicem quoque eventum exſpectavi, præcipue quia ſupponebam, hujus ægri morbum nullo malo topico ſuſtentari. Hæc ſpes jam ſatis ſuperque adimpleta eſt; nam hic æger,

ſi non perfecte eſt ſanatus, morbi ſaltem inducias multo citius, quam exſpectaveram, expertus eſt: non tantum a paroxysmis, qui ſtatuto tempore cæteroquin recurrere ſolebant, liber manſit, ſed etiam cauſis, quæ eos quondam accerſebant, expoſitus haud amplius afficitur. Præterea ejus conſtitutionem magnam ſubiisſe mutationem, inde patet, quod ab inſultibus epilepticis liber dormit; hoc enim, ut opinor, indubitatum ſuppeditat diminutæ irritabilitatis argumentum.

Rebus ſic ſe habentibus, ejus ad nos acceſſum non amplius necesſarium fore exiſtimavi: attamen inde concludi non debet, me eum perfecte curatum credere; neque mirum mihi videretur, ſi eum iterum inſultibus epilepticis affectum audirem; præſertim, cum adhuc cauſæ eidem occaſionali, quæ eos primo excitavit, expoſitus maneat. Spes autem magna mihi ſupereſt, hoc non factum iri, præcipue ſi mater ejus, meum obſervans conſilium, eum ad aliquam a ſe diſtantiam dimiſerit.

Duobus modis curationem hujus morbi tentari poſſe, obſervavi: vel enim cauſam excitantem amovere conamur; vel talem in vi nervea mutationem inducere, ut, quamvis cauſæ excitantes maneant, priſtinum tamen producere effectum non amplius posſint. Poſteriori modo ſæpiſſime epilepticis levamen allatum puto. Multa phænomena veriſimile reddunt, quendam mobilitatis

in

in vi nervea, & irritabilitatis in fibris motricibus, gradum adeſſe debere, ut inſultus epileptici ſe manifeſtare posſint, vel tunc etiam, quando morbus ex certo quodam corporis male affecto loco ortum ducere videtur. Hinc varia tonica remedia levamen attulerunt etiam tunc, cum Epilepſia ab exoſtoſi intra cranium erat excitata. Hoc igitur in genere certum credens ægri hujus curationem hoc modo ſuscepi, neque unquam me poſtea poenituit, me hanc viam fuisſe ingresſum.

Statim dabam huic ægro *pilulas cæruleas*, ſecundum novam formulam pharmacopœæ *Edinburgenſis* præparatas. Necesſe autem non eſt obſervare, cupri præparationem eam harum pilularum partem conſtituere, quæ ſola agendi vires posſidet; & hic metallum hoc tam mite esſe, ut forte nunquam mitius reddi poſſit.

Cupri in medicinâ uſus antiquisſimus esſe videtur. Quoad ejus, quam optimam novi, hiſtoriam, vos poſſum relegare ad inauguralem diſſertationem *De Cupro*, viginti circiter abhinc annis, in Univerſitate *Edinburgenſi*, a Russelio defenſam. In ſtatu puro metallico nullam, præter mechanicam, vim in corpore humano exſerere poteſt. Sed ſcimus, varias ejus præparationes, ſquamas ſcilicet, æruginem, & ſimilia, externe, etiam tempore Hippocratis, adhibitas fuiſſe. Interne autem ſumptum, pro veneno diu habitum eſt. Nec profecto absque ratione, nam hoc metallum tam

tam valide ſtimulat, ut nulla fere ex eo facta præparatio vel parva doſi adhibere liceat; & hoc quidem præcipue de ærugine valet. Attamen in forma ſalina non ſemper æque violentos edit effectus, neque ſemper æque valide corpus afficit. Quoniam, quando externe adhibetur, adſtringendi vi pollet, etiam hac vi, quando interne adhibebatur, præditum fore metallum hoc, concludebatur.

Experientia autem conſtat, ex omnibus cupri præparatis, ea, quæ cum ſalibus neutris, & præcipue cum ſalibus ammoniacalibus fiunt, minima vi venenata prædita esſe. Neque a vero alienum eſt, remedium a D. Boyleo inventum, ſub titulo *Entis Veneris* hujus esſe generis. Huic remedio magnas egregius ille Vir tribuit laudes, & in omnibus morbis, a laxitate totius corporis ortum ducentibus, illud maximopere commendat. Ex quo viguit Boyleus, cuprum ammoniacum Practicis commendatum fuit a pluribus in Germania ſcriptoribus, & varia de hac re ſcripta in *Actis Academiæ Regiæ Berolinenſis*, & in *Ephemeridibus Germanicis*, videri posſunt. Poſtquam hæc edita fuerunt, ſæpe adverſus Epilepſiam uſitatum eſt hoc remedium, ejusque uſum optatus non raro ſuccesſus fuit ſecutus. Non quidem exiſtimandum eſt, nos unquam remedium inventuros, in unoquoque Epilepſiæ caſu efficax; aſt magni tamen eſt momen-

menti, tale poſſidere, quod, in quibusdam caſibus votis reſpondebit.

Hoc remedio in pluribus aliis caſibus uſus ſum. In eorum quibusdam ab eo aliquid provenisſe commodi, non dixerim; in aliis autem, bonos illud manifeſto attulisſe effectus, puto. Nullus tamen (quod agnoscere debeo) in mea praxi mihi caſus occurrit, in quo tantum emolumenti, ac in modo enarrato caſu, exinde mihi videre licuit. Non autem hoc ideo dictum volo, acſi crederem, illud nunquam meliorem adhuc ſuccesſum habuisſe; nam in diſſertatione a Russelio conſcripta, cujus paulo ante mentionem feci, narratur caſus, quod ad circumſtantias attinet, multo pertinacior. Remedium tunc per longum temporis ſpatium dabatur, & in magna quidem quantitate, nonnunquam etiam ad grana novem ter in die, & hoc quidem non ſolum absque malo eventu, ſed vel optimo cum ſuccesſu.

Cuprum tamen Ammoniacum, ob ſtimulantem, qua gaudet, vim, inter illa medicamenta referendum esſe puto, quæ ſemper parva in principio doſi danda ſunt. Itaque huic meo ægro unam tantum pilulam initio præſcripſi; (una autem *pilula cærulea* ſolummodo continet *ſemigranum cupri*); hæc doſis mane & vespere repetebatur. In initio levem hæc ægritudinem induxit, ſed cum nec vomitus nec ventris fluxus adesſet, cito doſin veſpertinam du-

duplicare auſus fui; nam, obſervari poteſt, medicamenta hujus generis, vespere data, multo minus ægritudinem inducere, quam ſi jejuno ventriculo ſumuntur. Dum medicamentum hac quantitate asſumpſit, inſultus epileptici ſenſim minus illum adoriebantur, & haud longo poſt tempore penitus evanuerunt: hæcque cauſa fuit, quare doſin non tantum non majorem feci, ſed econtrario illam minorem reddere necesſarium duxi. Cum vero, poſtquam hoc feceram, tamen aliqua adhuc remaneret ſuſpicio, fore ut vomitum excitaret, ab hoc medicamento plane deſtiti. Ne autem ſimul & ſemel tonicum ac potens remedium plane omitterem, ei Corticem Peruvianum ſubſtitui; &, hoc per aliquod tempus continuato, cum inſultus epileptici non amplius viderentur timendi, haud neceſſarium esſe judicavi, ægri nomen in albo noſtro diutius retinere. Idcirco eum dimiſi, & pergratum mihi erit audire, eum ab hoc morbo ſemper immunem manſisſe.

Sequela.

Hic æger brevi, poſtquam ex Valetudinario dimisſus erat, maternam domum reliquit, & plures menſes abſque vel minimis priſtini morbi ſignis fuit; at circa Junii medium iterum ad matrem reverſus eſt, ut cum ea habitaret, haud multis autem poſt hebdomadibus, inſultus eum epilepticus adoriebatur, qui tamen nunquam rediit, quamvis duo exinde menſes elapſi ſint

ſint, & quamvis inſultus, quibus affligitur mater ejus, quacum adhuc degit, æque ſint, ac antea, frequentes.

CASUS II.

Obſervationes de Tumore Abdominis, dubiæ indolis, feliciter terminato.

MR. puella, ſeptem fere annos nata, in valetudinarium admisſa die 8vo Novembris 1776, tumore abdominis valde magno, & tenſo, laborat; de magna etiam ſiti queritur, & appetitus multum diminutus eſt. Nullus occurrit in alia corporis parte tumor. Noctu valde inquieta eſt, nec bene dormit, doloribus, abdomen infeſtantibus, frequenter vexata; & aliquando etiam nares fricare obſervatur. Reſpiratio ſolito difficilior eſt. Urina parca; lingua munda; cutis humida; alvus regularis.

Tumor abdominis primo apparuit annis circiter abhinc quinque, & exinde pedetentim increvit. Quatuor circiter annis poſt hujus initium febre corripiebatur, per cujus decurſum quatuor vermes teretes ejecit, qualem etiam duobus abhinc menſibus alvo excrevit. De ſiti ſemper inde a tempore, quo ablactata fuit, queſta eſt.

Nullæ illi notæ ſunt cauſæ, quibus morbus ad-

adſcribi poteſt: quibusdam medicamentis uſa eſt, ſed, qualia erant, neſcit, & ab iis nullum levamen accepit.

℞. *Pulveris Cremoris Tartari ſemidrachmam.*
Pulveris corticis Cinnamomi grana decem. M.
Capiat doſin hujusmodi quarta quaque hora.

Die 16to Novembris. Pulveres, quos ſtatuto tempore ſumpſit, nullam catharſin induxerunt: ſed paulo majorem illa urinæ quantitatem excrevit. Tumor abdominis nihil imminutus eſt, nec ſitis illam minus vexat; ſed appetitus tamen aliquantum reſtauratus eſt; alvus naturalis; pulſus 120.

Continuetur pulvis Cremoris Tartari, ut antea, &

℞. *Calomelanos grana tria,*
Pulveris radicis Scillæ exſiccatæ ſcrupulum unum,
Saponis Hiſpanici drachmam unam,
Syrupi ſimplicis quantum ſufficit, ut fiat maſſa, dividenda in pilulas granorum quinque.
Capiat pilulam unam omni nocte ſub horam ſomni.

Die 23tio Novembris. Pilulæ nec vomitum, nec ullam notabilem ægritudinem intulerunt. Sed quotidie per aliquod jam tempus alvum ſæpius deponere debuit, non ſine ſævis torminibus, & hoc uſui pulverum adſcribit. Urinæ non majorem inde a 16to die hujus menſis quantitatem excrevit. Minus appetit, & tumor abdominis nihil eſt imminutus. Pulſus 100; ſitis aliquanto mitior.

Ca-

Capiat doſin pulveris Cremoris Tartari omni mane & pilulam Scilliticam omni nocte.

Die 30mo Novembris. Alvinæ dejectiones liquidæ aliquot dies non tam frequenter illam turbarunt, & in univerſum quinque propemodum libras urinæ viginti quatuor horarum ſpatio reddidit. Abdominis tumor ſingulo mane aliquantum fuit imminutus, ſed iterum noctem verſus increſcit. Minor fuit hoc mane, quam fuerat per aliquot annos. Sitis levior; appetitus melior. Pulſus 96.

Continuentur Medicamenta ut antea.

Animadverſiones in hunc Caſum die 7mo Decembris propoſitæ.

Hujus ægræ morbus, mea quidem ſententia, haud omni dubio vacat. Multa certe hîc occurrunt ſymptomata, quæ pro ſignis pathognomonicis hydropis habentur, imo ex tumore abdominis, difficultate reſpirandi, ſiti, & parca urinæ excretione, concludere poſſemus, eam aſcite laborare; & rem revera ſic ſeſe habere, fere credo; ſed ſymptoma tamen valde eſſentiale hic non obſervatur; ſcilicet hunc abdominis tumorem nulla evidens comitatur fluctuatio, quæ conſtanter fere percipitur, quando abdominis tumor ab aqua trahit originem, vel etiam quando fluidum aliquod aliud, ſanguis, nempe, pus, vel aliquid ſimile in abdominis cavitatem effuſa ſunt. Abſentia igitur fluctuationis nos ad inquirendum ducit, quatenus ſuſpicari liceat, hanc intumeſcentiam ab aliqua alia cauſa

pendere: & eo magis tali ſcrutinio locus eſt, cum nullum ſit indicium aquæ in aliqua alia corporis parte effuſæ. Genuinus quidem ascites exiſtere poteſt, & frequenter revera exiſtit; ſed tamen plerumque aliis hydropis ſymptomatibus comitatur.

Sponte hic ſeſe offerunt duæ aliæ conjecturæ circa hujus tumoris cauſam. Aliquando nimirum tumores, ſpecie huic ſimiles, a ſolida materie oriuntur. Sed, quo minus hæc conjectura hic loci in cenſum venire poſſit, duæ objectiones inſuperabiles prohibent. Prima a morbi progreſſu deduci poteſt. Quando nimirum tumor abdominis a ſolida materia originem ducit, in puncto quodam certo fere ſemper initium ſumit, & inde ad alias abdominis partes ſenſim extenditur: at in hoc caſu, licet tumor gradatim creverit, æquabiliter tamen totum abdomen occupavit, & nulla particularis topica durities unquam detecta fuit. Præterea tumores a ſolida materia pendentes ſubitis mutationibus non ſunt obnoxii, & in noſtra tamen ægra tales mutationes ſunt obſervatæ: quapropter tumoris origo ſolidæ cuidam materiæ nullo fere fundamento adſcribi poteſt.

Altera conjectura hæc eſt, *tumor hicce ab aëre forte oritur*, hoc eſt, *ægra forſan Tympanitide laborat.* Sed hujus etiam morbi quædam ex præcipuis ſymptomatibus abſunt. Nullus, verbi gratia, ex percusſo abdomine ſonus percipitur

tur, nullum adeſt emiſſis flatibus levamen. Igitur mihi quam maxime probabile videtur, hunc tumorem aquæ originem debere. Fluctuationis abſentia a diverſis circumſtantiis provenire poteſt, uti ab integumentis, vel viſceribus, quodam modo affectis, vel ab aqua hydatidibus incluſa: ſitis certe & parca urinæ excretio hydropem ægræ hujus morbum eſſe, mihi fere perſuadent; ſed tamen non mirum mihi videbitur, ſi, complicatam faciem præ ſe ferens, nec aquæ, nec aëri prorſus, ſed huic æque atque illi adſcribendus ſit.

In hoc ambiguo rerum ſtatu, prognoſin valde propitiam dare nollem. Sua quidem juventus ægræ aliquantum favet; magis autem adhuc hoc, quod ab aucta urinæ copia levamen, ſaltem ad tempus, percepit. At, his exceptis, cætera fere omnia ſunt infauſta.

Dum morbi naturam nequaquam perſpectam habemus, aliqua certe ratio eſt, topicum malum timendi; & ob dolorem abdominis, de quo queritur, nihil boni poſſumus prædicere; imo ob morbi durationem, eum pertinacis eſſe indolis concludere licet. Quamvis enim ſeptem fere annos nata ſit, quinque tamen jam anni ſunt elapſi, ex quo morbus hic obſervatus eſt; imo eum jam maturius multo incepiſſe quædam indicant; nam ſitim, qua vexabatur, ex quo ablactata fuit, ut hujus morbi ſymptoma conſiderare licet. Hisce omnibus adhuc accedit, ejus

morbum jam multis remediis reſtitiſſe. Si itaque cito feliciterque ſanari poterit, hoc præter exſpectationem meam fiet.

Mirum forſan videbitur, me adhuc nullam feciſſe mentionem cujusdam rei, quæ in hujus Caſus hiſtoria expreſſe fuit memorata, vermium nempe, quos eam ſæpius alvo ejeciſſe obſervatum eſt. Nonnulli Practici, rebus ſe ita habentibus, ac in hoc caſu fuit obſervatum, vermes in tubo inteſtinali hospitantes, cauſam præcipuorum, ſi non omnium, ſymptomatum dicerent. Sed, quod ad me attinet, fatendum mihi eſt, me nullum videre nexum illos inter, & morbum ipſum. Vermes quidem non raro in inteſtinis occurrunt, ſed, poſt accuratum hac de re inſtitutum examen, affirmare audeo, eos rarius in hac regione, quam in aliis, & rarius nunc, quam olim, occurrere, quod mutationibus in diæta factis, deberi confido. Sæpe quidem videmus, eos ſymptomatum periculoſisſimorum, & admodum anomalorum, cauſam eſſe; ſed nullus tamen dubitandi locus eſt, quin in canali alimentari frequenter, absque ut ullum afferant incommodum, adſint; idque ex eo ſatis patet, quod foras ejici nonnunquam obſerventur, nullo incommodo prægreſſo.

In caſu noſtro, durante febre præcipue apparuerunt. Obſervandum autem eſt, in affectionibus febrilibus vermes ſæpius prodire; &, cum hoc contingit, multi ſunt, qui eos

pro

pro cauſa morbi habent. Sed hæc conſequentia ſæpe, ut opinor, nequaquam legitima eſt; & firmiter credo, eos frequenter in tali caſu propter febrim prodire; valde etiam probabile eſt, eos ob morboſum corporis ſtatum, qui tunc adeſt, forſan ob majorem corporis calorem, locum, in quo ſunt, deſerere debere: hoc in noſtro caſu eveniſſe puto. Ægra hæc tamen nuper etiam vermem unum ejecit, & idcirco credere poſſumus, alios adhuc adeſſe, qui canalem inteſtinalem irritando quorundam ſymptomatum cauſa eſſe, vel illa exacerbare, poſſunt. Sed, etiamſi hoc concederemus, fatendum tamen mihi eſſet, me non putare, eos periculi aliquid hoc in caſu afferre, nec medendi methodum eorum reſpectu mutandam eſſe.

Me in genere optimam ſanandi methodum nequaquam poſſe determinare, ex his, quæ dicta ſunt, colligi poteſt; attamen morbum hunc eo modo tractare coepi, qui mihi optimus, & maxime rationalis, viſus eſt, ſcilicet acſi hydrops eſſet. Cum igitur aquam in cavo abdominali eſſe collectam ſupponam, conabor eam per vias naturales evacuare, quarum præcipuæ ſunt inteſtina, ac veſica. Per illa promptiſſime, ac ſubito, aquam evacuare poſſumus. Per hanc ſi aquam e corpore pellimus, ægri vires longe minus debilitantur, & hac de cauſa, diuretica, modo magis legitimo, ac diutius, quam purgantia, poſſunt adhiberi. His itaque

præcipue in hoc caſu confidam, quamvis tamen diuretica quodammodo cum catharticis conjungam. Hinc huic ægræ duo diverſa remedia, nimirum Cremorem Tartari, & Scillam dedi, quorum ille, dum promptiſſime ut catharticum agit, ſimul tamen potens eſt diureticum, hæc vero tantum ad urinæ quantitatem augendam adhibetur. Si his medicamentis majorem urinæ quantitatem evacuare poſſumus, & intumeſcentia ſimul minor fit, absque ut ægra inde debilitetur, alia ad ægram ſanandam remedia adhibere potero. Cæterum in morbis hydropicis aquæ evacuationem, ut partem curationis, quæ minimi eſt ponderis, conſidero; atque in omni fere caſu difficilius eſt, novam aquæ effuſionem impedire, quam hanc evacuare. Itaque forte neceſſarium erit, ad ſtabiliendos ſalutares evacuantium effectus, ad Corticem Peruvianum, ac alia tonica, confugere. Nequaquam tamen hoc ita intelligi volo, acſi promitterem, me magnos in ægræ hujus curatione progreſſus facturum; nam forſan ſatis cito perſpiciam, huic methodo non amplius inſiſtendum eſſe. Forſan major aquæ quantitas evacuabitur, quam ægræ vires ferre poſſunt, aut hoc fiet absque diminutione intumeſcentiæ: quorum ſi alterutrum contingiat, hoc certiſſime noxium erit. Quid tum faciendum mihi esſet, huc usque determinare non poſſum; ſed tamen credo, me tunc alia quædam medicamenta, quæ ad ductus inteſtinalis

lis robur promptius augendum tendunt, adhibiturum; præcipue ea, quæ titulo Stomachicorum, & Carminantium inſigniuntur: huic etiam ſcopo quodammodo inſerviet abdominis frictio, quam in hoc caſu medicamentis paulo ante enumeratis adjungere volo: atque eam oleo, vel aliquo molli pulvere perfici curabo, ab iis nullum alium effectum ſperans, quam ægræ in hac per ſatis longum tempus toleranda conſtantiam.

Sequela.

Statim poſt diem 7imum Decembris, præter antea jam præſcripta medicamenta, Cremorem nempe Tartari, & Scillam, hujus ægræ abdomen ſingulo etiam veſpere per ſemihoræ ſpatium fricari juſſum eſt; & quum repetitæ alvi evacuationes debilitatem inferre viderentur, purgantia non amplius fuerunt adhibita. Sed non multo poſt tempore, cum ſe forte fortuna frigori expoſuiſſet, abdominis tumor valde augebatur, quare cum alvus potius ſtricta, quam laxa, eſſet, pilulæ ſcilliticæ non amplius dabantur. Sed contra Cremor Tartari electuarii formâ, parvâ Gummi Guttæ quantitate additâ, rurſus trahebatur in uſum. Hinc alvus admodum laxa reddita eſt, & tumor cito aliquantum remiſit; quamvis tamen hocce remedio ſatis diu licet continuato is nequaquam penitus disparuerit. Deinde ei data fuit mixtura, cujus baſin Tinctura Amara conſtituit, cujuſque uſu

 mul-

multos flatus exploſit, & hinc tumor paulatim minuebatur; nequaquam vero prorſus diſparebat. Cum autem ægra cætera ſana eſſet, non ultra laboraret ſiti, appetitu proſtrato, dolore abdominis, urinæ nimis parca excretione, vel aliis ſymptomatibus, quæ, quando primum ad me venit, illam valide affligebant, circa medium circiter menſis Martii dimiſſa fuit.

CASUS III.

Obſervationes de quodam cutis morbo, externo Mercurii Sublimati Corroſivi uſu feliciter ſanato.

G— B—, annos octo natus, die 8vo Novembris in valetudinarium admiſſus, totam habet faciem rubra, & ſquamoſa, efflore-ſcentia obſitam, cujus etiam nonnihil ſuper abdomine apparet. Eam nunquam comitatur vel dolor, vel pruritus, niſi quando igne, aut quovis alio modo, calescit: nunc ſicca eſt; ſed in facie ſæpe humida liquidum quoddam plorat. Pulſus & alvus naturali ſe modo habent, quoad cætera ſanus eſt.

Hæc efflorescentia novem abhinc menſibus primo apparuit; neque cauſæ cuidam adſcribi poteſt; hoc tamen referri meretur, quod cum viro

viro ſimili efflorescentia laborante duos ante annos dormivit.

Emplaſtrum veſicatorium, & quædam alia medicamenta, quorum ignari ſunt parentes, adhibita ſunt; ſed ab iis nullum levamen accepit.

Capiat Antimonii præparati ſcrupulum unum veſperi, & mane.

Die 16to Novembris. Pulveres bene fert ejus ſtomachus, & efflorescentia in eodem, quo antea, ſtatu in facie permanet, ſed tamen nunc nullum liquidum plorat.

Repetatur doſis Antimonii ter indies: &

℞. *Mercurii Corroſivi Sublimati grana duo. Solve in aquæ unciis quatuor; dein adde Spiritus Lavendulæ compoſiti unciam unam. M. fiat ſolutio, qua accurate laventur partes affectæ ſingulis noctibus.*

Die 23to Novembris. Pulveres, absque ullo incommodo, aut effectu ſenſibili, ſumit. Efflorescentia in facie multum imminuta eſt, ex quo eam ſolutione hac lavare cœpit: ex quibusdam vero maculis levis fit liquidi cujusdam evacuatio. Pulſus & alvus naturales.

Continuentur medicamenta; & capiat craſtino mane Salis Glauberi drachmas ſex ex aquæ ferventis unciis octo.

Die 30mo Novembris. *Sal Glauberi* bene votis reſpondit: faciei efflorescentia multum eſt

imminuta; & nunc liquidi parvam admodum quantitatem emittit.

Repetatur doſis Salis Glauberi, ut antea, craſtino mane, & continuentur cætera medicamenta.

Animadverſiones in hunc Caſum die 7mo Decembris propoſitæ.

Hic æger morbo laborat, qui non raro in praxi occurrit, & cujus omnia ſymptomata præterea ſenſibus ſunt obvia; ſed qui nihilominus, mea ſententia, non facile juſto titulo deſignari poteſt. Hoc de omnibus cutaneis morbis dici debet; nam huic morborum ordini ægri noſtri caſus manifeſte adſcribendus eſt. Ego certe libenter asſentior opinioni eorum, qui dicunt, morbos cutaneos huc usque a noſologicis, vel practicis, ſcriptoribus non ſatis accurate diſtinctos esſe; nam nonnulli ex his eorum ſpecies quidem in immenſum fere multiplicaverunt; ſed ex eorum descriptionibus haud colligi poteſt ad quamnam ſpeciem particularis quidam caſus referri debeat.

In praxi magni fore momenti puto, ſi hi morbi in genera diſtincta redigi poſſent, reſpectu præcipue habito cauſarum, ex quibus proveniunt; & admodum probabile eſt, omnes tunc ad quatuor genera referri posſe: ad morboſam ſcilicet omnium humorum conditionem, ad morboſum vaſorum cutaneorum ſta-

ſtatum, ad depravatam ſecretionem per glandulas ſebaceas cutis, vel ad bulbos pilorum male affectos. His quatuor generibus cauſas præcipuas morborum cutaneorum comprehenſas exiſtimo, & horum curam variam esſe debere, prout cauſæ cuidam notæ tribuendi ſunt.

Itaque, ſi congrua inveniri posſent indicia, quibus morbi hi a ſe invicem esſent dignoſcendi, crederem, multum hinc utilitatis proventurum; ſed, quantum ſcio, talia hactenus latent ſigna, & incertis tantum conjecturis ex habitu externo, & aliis circumſtantiis, deſumptis contenti esſe debemus.

Omnes hujusmodi morbi, ſaltem in hac parte *Britanniæ*, vulgo Scorbutus audiunt; ſed hoc nomine periti Medici longe alium morbum intelligunt; & ex omnibus chronicis cutaneis morbis, Pſora & Tinea exceptis, duo tantum genera diſtincte deſcripta cognoſco, Lepram ſcilicet, & Herpetem, ad quorum alterutrum omnia alia vulgo refero. In quibusdam tamen caſibus tam manifeſta occurrit differentia, ut certus ſim, genera esſe plura debere, modo apprime diſcerni posſint: ſed inter duo jam memorata genera tam arcti ſæpe ſunt limites, ut frequenter perdifficile ſit dictu, ad quodnam genus referri caſum ſingularem oporteat. In univerſum tamen Herpeti annumerarem hos caſus, in quibus maxima adeſt inflammatio, multumque aquoſi cujusdam liquoris evacuatur, abs-

que

que ut multæ ſquamæ appareant: Lepræ vero annumerarem eos, quibus levis tantum, aut nulla, inflammatio adeſt, & efflorescentia non multum extra cutim eminet, ſed partes affectæ materia albeſcente ſquamoſa obſitæ ſunt. Ægrum igitur hunc Herpete laborare concludo; & morbum ejus pravo potius vaſorum cutaneorum partium affectarum ſtatui, quam ulli aliæ cauſæ, adſcribo. An hicce morbus natus ſit ex eo, quod cum viro, ſimili morbo laborante, dormiverit, etiamſi hoc ſuspicentur parentes, dicere non audeo, ſed contrariæ potius opinioni ſubſcriberem, licet hæc tamen nequaquam mihi certa, & indubitata, videatur; nam, tametſi multum temporis præterlapſum ſit, inter ejus cum infecto homine in lecto decubitum, & initium morbi, ac proinde ſuſpicio hæc multum labefactetur, tamen in omnibus ejusmodi caſibus, licet argumenta multo fortiora docerent, morbum contagii expertem eſſe, intimus ſine dubio nexus evitandus eſt.

Sed, ſive hujus ægri morbum ab hac, ſive ab aliquâ aliâ cauſâ, ortum ponimus, parum tamen quoad prognoſin, vel medendi methodum, proficimus, nam noſtrum de his judicium præſente morbi ſtatu niti oportet; & libenter fateor, me de probabili hujus morbi exitu, nequaquam certum ferre judicium poſſe. Spero tamen, nos hunc morbum curaturos, & noſtrum ægrum perfectam ſanitatem recuperaturum.

Mul-

Multum ei favent ſequentia: morbus ejus, inita cum aliis ejusdem generis comparatione, haud diu duravit; ſæpius uſui medicamentorum aliquantum cedere viſus eſt; nulla adeſt ſuſpicio, eum hæreditarium esſe; & æger adhuc in ætatis flore eſt: propter hæc omnia major affulget ſanationis ſpes, quam ſi diverſæ indolis circumſtantiæ adesſent. Sed, etiamſi ægrum ſanare non posſimus, hunc tamen morbum non adeo periculoſum dicendum puto; imo eum, moleſtum potius quam fatalem, fore credo, ſi ægrum affligere pergit.

Quod ad Curam attinet, notari meretur, ea omnia, quæ ad hunc ſcopum tendunt, non æque periculo vacare; notum quippe eſt, maxima aliquando mala repulſioni, ut dicitur, eruptionum cutanearum attributa esſe; nec difficulter concipi poteſt, unde hoc evenit, cum per has cutis efflorescentias corpus evacuationi humoris cujusdam, vel peculiari circulationis modo, asſuescit. In curatione igitur necesſario cavere nos oportet, ne, dum hunc morbum ſanare conamur, alterum periculoſiorem inducamus; præſertim cum talis ſequela, ab efficacisſima medendi methodo præcipue, ut opinor, timenda ſit. Hanc ob cauſam non unicum tantum medicamentum, ſed plura, huic ægro præſcripſi.

Hunc morbum a morboſo vaſorum in parte affecta ſtatu proveniſſe, judico, quare maximam

mam ſanationis ſpem in mercuriali lotione pono. Hanc puto acturam vi ſtimulante, quam in vaſa, quibus applicatur, exſerit. Sed ſi hoc modo cito ſanatur æger, necesſario magna in circulatione fiet mutatio; materia quippe, quæ antea evacuari ſolebat, tunc in corpore retinetur; hinc multa ſunt exempla inde natæ Apoplexiæ, Hydropis, vel aliorum periculoſorum morborum. Ne igitur tale quid etiam noſtro ægro accidat, dum per externa curatio tentatur, majorem humorum copiam per alia emunctoria evacuare conabor. Hunc in finem ei crudum Antimonium præscripſi, medicamentum, quod ſæpe adverſus morbos cutaneos, & ni fallor cum ſuccesſu, adhibui, cujusque vis in augenda diaphoreſi, & in hac ſuſtinenda, probabiliter conſiſtit. Præterea ut & alia via corpus nimia humorum quantitate liberarem, repetitis vicibus cathartica refrigerantia dedi; nam his licet minus permanentem, attamen certiorem, & promptiorem, evacuationem procuramus: atque ſic evitare ſpero quamcunque periculoſam ſequelam, quæ cæterum ex externo Mercurii uſu redundare posſet.

Hanc methodum ſi ſatis diu ſequimur, ſpes eſt, ægrum ſanatum iri; & fortasſe in poſterum nihil aliud faciendum erit, quam ſolutionem fortiorem reddere, vel eam pro re nata aliter adminiſtrare. Si vero eam ſine bono effectu adhibuerimus, varia alia externa, & interna,

na, medicamenta experiemur; & ſi morbus refractarius fuerit, animus eſt, in uſum vocare Acidum Vitriolicum, quod medicamentum eſt, nuper ad curandam Pſoram valde commendatum, ac de quo certior factus ſum, ejus efficaciam in caſibus Scabiei ſiccæ & humidæ confirmatam esſe a peritisſimo medico *Göttingenſi* Baldingero. Ipſe quoque plus ſemel in herpeticis quibusdam efflorescentiis eo uſus ſum, neque, ut puto, absque ſuccesſu. Si autem, methodo jam propoſitâ incaſſum tentatâ, in hoc caſu hoc remedio ſcopum attigero, fateor, me id pluris, quam unquam antea, æſtimaturum. At ſi Acidum Vitriolicum interne ſumptum non profecerit, externum ejus uſum tentabo; nam cum axungia porcina mixtum unguentum admodum elegans format. Hoc quidem huc usque raro uſus ſum, ſed tamen exiſtimo, illud multo majori vi, quam unguenta ſulphurea, pollere, & bonos producturum effectus.

Sequela.

Externo ſolutionis Mercurii Corroſivi Sublimati & interno Antimonii uſu, una cum Salis Glauberi certa quantitate, juſtis intervallis exhibitâ, efflorescentia in facie gradatim imminuta eſt: ſed paulo poſt, ſimilis naturæ efflorescentia ſicca ſquamoſa in cute capillata capitis apparuit. Raſo igitur capite, ejusdem fere generis remedium externe fuit adhibitum, Mercurius nempe Sublimatus Corroſivus for-

forma unguenti, cui cito ceſſit. Ejus tamen ſanatio non conſtans fuit; nam, poſtquam efflorescentia in capite evanuit, faciem rurſus ſatis graviter obſedit, & etiam ad diverſas trunci partes proſerpſit. Iisdem tamen remediis conſtanter adhibitis, tandem penitus fuit debellata, & primo menſis Martii die ſanus eſt dimisſus.

CASUS IV.

Obſervationes de Affectione Rheumatica, uſu Elixirii Guajacini Volatilis ſanata.

S. M—, mulier quadraginta duos annos nata, in veletudinarium admisſa 11° die Novembris 1776, colore ſubrufo, ſtatura humili, gravibus afficitur doloribus in coxarum, femorum, & talorum juncturis, præcipue lateris dextri. Motu dolores adeo exacerbantur, ut ambulare, vel ſe erectam tenere, nequeat; ingravescunt autem præcipue, cum in lecto calescit.

Partes affectæ minime ſunt inflammatæ, & ad tactum non dolentes, ſemper tamen ſub juncturæ motu dolorem excitant. Pulſus 96; alvus naturalis; appetitus diminutus; ſed non queritur de ſiti. Menſes ſunt regulares, & nunc fluunt.

Jun-

Junćturarum dolores primo ſex abhinc menſibus ſenſit; & tunc eos comitabantur calor, & rubor partium, qui cito poſt applicatum veſicatorium, & ſanguinis evacuationem, ope hirudinum, disparuerunt. Nunc queritur de ſenſu frigoris in talo, & pede, qui præcipue laborant.

Morbum adſcribit frigori, quod ſubito contraxit, dum e vaſe aquâ tepidâ repleto in rivum exſiliret. Nullis, præter ante dicta, remediis uſa eſt.

Capiat Elixirii Guajacini volatilis ſemunciam omni nocte hora ſomni, ex quovis vehiculo.

Die 14to Decembris. Elixirium, ex quo præſcriptum fuit, aſſidue ſumpſit, & inde ejus dolores multum imminuti ſunt; nec ultra eam verſus noctem, excruciant; ſatis etiam facile poteſt ambulare, ita ut ad Valetudinarium, longum ſatis iter emenſa, pedes venerit.

℞. *Elixirii Guajacini Volatilis uncias duas.*
Mucilaginis Gummi Arabici
Syrupi ſimplicis, ſingulorum unciam unam.
M. Capiat ſemunciam omni nocte.

Die 21mo Decembris. Majori facilitate ambulare pergit; ſed adhuc dorſi dolorem ſentit, qui noctu graviſſimus eſt.

Continuetur mixtura, ut antea.

Animadverſiones in hunc caſum die 23tio Decembris propoſitæ.

Hujus ægræ caſus morbum minime complica-

tum nobis offert, & ſimul etiam talem, de cujus naturâ parum dubitare poſſumus. Vix enim dubitari poteſt, quin dolores, quibus laborat, rheumatici ſint; & tamen morbus ejus nequaquam definitioni Rheumatiſmi, a ſcriptoribus noſologicis traditæ, quadrat; nam hæc ægra, non ſolum nunc a febre libera eſt, ſed etiam ex quo ſe noſtræ curæ commiſit, nullis pyrexiæ ſymptomatibus laboravit.

In genere quidem conceditur, hunc morbum duo ſtadia valde diverſa habere, quæ titulis Rheumatiſmi Acuti, & Chronici, bene nota ſunt; ſed tamen non poſſum determinare, quatenus illi in duobus his ſtadiis, diverſa generica nomina dari debeant; quamvis libenter fatear, hæc duo inter ſe quam maxime differre, etiamſi vario reſpectu intime ſint conjuncta.

Minime dico, Rheumatiſmum Chronicum nunquam occurrere, niſi cum Acutus præceſſerit; & hujus morbi procul dubio multa exſtant exempla, quibus nullus unquam Chronicus ſupervenit; attamen frequentiſſime connectuntur, & alter alterius ſequela eſt. Hoc etiam in caſu noſtro locum habuit; ſaltem hoc concludere poſſumus ex tumore, & inflammatione, quæ in initio dolores comitabantur.

Sed qualiscunque fuerit primus morbi ſtatus, ejus indoles nequaquam erat incerta, quando ægra ad nos acceſſit, & forſitan æque certum eſt, cum primam duxiſſe originem a cauſâ, cui

cui eum adſcribit, a ſubitâ ſcilicet corpori illatâ mutatione, dum ex aquâ calidâ in frigidam tranſivit. Certe corpus ſi ſubito frigori exponitur, variis morbis frequenter afficitur; & hi variant, prout hanc, illamve, partem, forte debiliorem, invadunt, vel ſimili cuidam cauſæ debentur; omnium autem frequentiſſimi ſunt morbi rheumatici, & ægræ noſtræ morbus etiam ad hos pertinet.

Quod ad morbi hujus exitum ſpectat; nulla ut opinor, ratio eſt, cur fatalem eventum timeremus; ac præterea notare licet, Rheumatismum, etiam in ſtadio acuto, ad hos morbos pertinere, qui plus doloris, quam periculi, afferunt. Aliquando quidem Rheumatismus Chronicus, alios inferendo morbos, in mortem deſinit; & ſi dolor diu durat, nec corpus moveri poteſt, illud tandem debile fit. Sed in noſtro caſu, nec tam diu duravit morbus, nec tam validis ſtipatus fuit ſymptomatibus, ut tale quid timendum ſit. E contrario magna mihi ſpes eſt, fore ut ægra, quæ jam ſanari cœpit, ſat cito valetudine ſatis bonâ fruatur. Verum tali tamen curationi nequaquam fidere poſſumus; imo obſervare debemus, eam, vel levibus etiam de cauſis, hunc morbum in poſterum poſſe contrahere, & multo quidem facilius, quam ſi nunquam antea eum paſſa fuerit.

Medendi methodus nullo modo eadem in omnibus morbis, quibus Rheumatismi Chronici no-

men datur, eſſe poteſt; nam probabile eſt, morbum, quoad ejus naturam, admodum varium eſſe. Rheumatismus Chronicus, ſi ſtatus ejus maxime genuinus conſideratur, a partium debilitate, orta ex præcedente inflammatione, veriſimiliter pendet. Sæpe tamen hicce ſtatus cum remanente aliquo adhuc inflammationis gradu complicatur. Quando prius locum habet, præcipue proſunt tonica ſic ſtricte dicta, qualia ſunt Balneum frigidum, & Cortex Peruvianus. In poſteriori autem caſu non dari poſſunt hæc remedia, quoniam certo certius nocerent: attamen morbum tunc propterea non debemus aggredi, acſi Rheumatismus eſſet Acutus, per venæſectiones ſcilicet, & diaphoretica; nam tali quidem modo reſiduæ inflammationi forte iremus obviam, ſed ſimul incrementa caperet debilitas. Hujusmodi in caſibus, maximam utilitatem ab uſu Mercurii, & Electricitatis, nec non Elixirii Guajacini Volatilis, a nobis ſemper in hoc caſu uſurpati, exſpectandam eſſe, judico; nam hæc remedia, dum quodam modo evacuantium vicem implent, etiam ſimul ſtimulantia ſunt; & ſic veriſimiliter utrumque morbum, atoniam, nimirum, & inflammationem, ſanant.

Cum ad ultimam hanc ſpeciem caſum noſtrum pertinere crederem, utile hic futurum Guajacum exiſtimavi. Hoc quippe medicamentum diu adhibitum eſt, & variâ quidem ſub formâ, adverſus dolores rheumaticos, & arthriticos.

Nul-

Nullum poteſt eſſe dubium, quin Guajaci vis a gummoſâ vel potius reſinoſâ materiâ, in ligno contentâ, pendeat. Hoc gummi aliquando datum fuit in ſubſtantiâ, aliquando in aquâ ſolutum, & utroque modo datum bonos produxit effectus; ſed nunc frequentiſſime uſurpatur Tinctura Volatilis, vel, quod fere idem dicendum eſt, Elixir Volatile Pharmacopœæ *Edinburgenſis*. Elixir hoc Volatile ab aliquo tempore frequenter adverſus morbos rheumaticos fuit uſurpatum, poſtquam nempe lucem vidit opusculum a Dawsonio editum, cui titulus eſt, *Caſes in the acute Rheumatism and the Gout*; & quamvis auctor, in hac diſſertatione, me non tantâ, ac æquum eſſet, lenitate tractaverit, eam nihilominus vobis commendare non dubito; hoc certe mihi ſolamini eſt, cum, a me quibusdam in rebus diſſentientem, celebriores longe viros multo adhuc violentius fuiſſe aggreſſnm.

Dawsonius, dum omnem theoriam contemnere vult videri, quamvis, eodem tempore, in libro, quem jam memoravi, eam non raro adhibuerit, Tincturam Volatilem Guajaci, Pharmacopœæ *Londinenſis*, ut remedium raro vel nunquam fallens, in Rheumatismo, & Podagrâ, commendat; ejusque ſemiunciam vel aquâ dilutam, vel hauſtus formâ, pro doſi præſcribit.

Sæpe, ex quo Dawsonii opusculum legi, hoc remedium præſcripſi, & aliquando, ut opinor,

nor, magnâ cum utilitate: attamen illud, quantum mihi experiri licuit, nequaquam eximiâ hac laude, qua ab illo ornatum fuit, dignum credo; imo, quando Rheumatiſmus recenter hominem afflixerat, aliquando ſuſpicatus fui, malum potius ab eo effectum proveniſſe. In tali caſu adhibui Elixir Guajacinum Volatile Pharmacopœæ *Edinburgenſis*, quod parum a Tincturâ Volatili Collegii *Londinenſis* differt; in priori nempe Spiritus Salis Ammoniaci Vinoſus, in poſteriori, Spiritus Volatilis Aromaticus, pro menſtruo, adhibetur. Hoc medicamentum, in caſu, de quo nunc agitur, utiliſſimum fuiſſe mihi videtur; neque alius mihi in praxi occurrit, in quo magis profuit; & ſi ejus laudes ulteriori experientiâ ſtabiliantur, hoc mihi valde erit jucundum.

Quoniam hæc ægra paulatim convalescit, medicamento jam in uſu aliud non ſubſtituam, & ſi ſymptomata forte violentiora evadant, veriſimiliter illud majori tantum doſi præſcribam, vel mutabo formam remedii. In initio conſuetâ Dawsonio doſi medicamentum dedi, ſemunciæ ſcilicet quantitate: ſed cum ægra, hac doſi per aliquod tempus ſumtâ, magnum levamen experiretur, quantitatem imminui, dando illi Elixir Volatile, aliis fluidis mixtum: ſique illa non fiat pejor, Guajacum cito penitus omittam, ut videam, quomodo ſe abſque eo gerat. Cum autem ſcire vellem, quatenus hoc ſolo medica-

dica.

dicamento curatio perfici queat, nullum aliud potens remedium, niſi neceſſitate coactus, vel externe, vel interne, adhibebo. Nullum aliud remedium neceſſarium fore ſpero; ſaltem credo, huic remedio tantum adjungenda eſſe talia veſtimenta, taleque regimen, qualia ægræ res permittent.

Si autem hoc modo nihil profecero, in animo eſt, Electricitatem in hoc caſu experiri. Electricitas certe inter illa locum obtinet remedia, quæ antea dixi Rheumatismo convenire, quando in atoniam vergit; imo Medici quidam valde eruditi credunt, Rheumatismum Chronicum inter & Paralyſin magnam eſſe affinitatem. Cum igitur in paralyſi Electricitas diu celebrata fuerit, ſperandi datur locus, eam quoque in Rheumatismo Chronico magnam utilitatem afferre poſſe. Fateri ſaltem debeo, me Electricitati majores vires adſcribere, & ejus utilitatem mihi majorem videri, quam vulgo creditur.

In noſtro caſu, & ſimilibus, optimum fore crederem, ſcintillas electricas ex parte affectâ elicere, vel leves dare ictus, communicatione inter phialæ latus plus & minus, factâ ope catenarum materiam Electricam in ægræ femur & talos ducentium.

Si vero Electricitas etiam ſcopo non ſatisfecerit, tunc aliquid utilitatis varia externa remedia afferre poſſe puto; tuncque linimentum, conſtans parvâ quantitate acidi vitriolici & axungiâ porci, quod mihi valde com-

mendavit generoſus quidam Vir, cujus in obſervando attentionem maximi facio, experiar. Sæpius talis unguenti, ut remedii adverſus cutaneos morbos, mentionem feci, ſed Vir ille me certiorem fecit, illud a ſe in Rheumatismo ſæpe cum ſucceſſu uſurpatum eſſe, idque factum inde putat, quod eodem, quo *Calefacientia*, modo egerit.

His remediis Corticem Peruvianum forte adjungemus; &, poſtquam experimenta, jam propoſita, inſtituta erunt, minus ut opinor, ab eo, quam nunc, timendum erit.

Ejusdem Caſus Continuatio.

Die 28vo Decembris. Dolores ejus leviores ſunt, ſed poſt 21mum hujus menſis levis ulceratio in poſteriori cruris parte orta eſt.

Continuetur mixturà Elixirii Guajacini, ut antea, & aliquantum linimenti cerei parti cruris affectæ imponatur.

Die 14to Januarii. Cruris ulceratio jam ſanata eſt; ſed in alia parte leve ulcusculum apparuit. Aliquem dolorem in femore, & brachio ſiniſtris patitur; ſed dextrum femur, quod olim tam valide cruciabatur, jam absque dolore eſt.

Continuentur medicamenta.

Die 25to Januarii. Ab omnibus doloribus liberata eſt; & penitus conſolidatum eſt ulcusculum. *Dimittatur.*

Animadverſiones in hunc caſum die 1mo Februarii propoſitæ.

Poſt ea, quæ jam ante de hujus ægræ morbo dicta

dicta ſunt, parum nunc obſervandum reſtat. Per totum ejus decurſum, nulla mihi cauſa fuit, cur, vel meam opinionem, vel medendi methodum, mutarem. Symptomata, quæ in hujus caſus hiſtoriâ memorata ſunt, eadem manſerunt, exceptis tantum levibus in crure ulcusculis, quæ ſub finem morbi oriebantur, &, ut penitus ſuperficiaria, vix attentionem merebantur. In univerſum, in hoc caſu ſanitas majora, quam exſpectare poteram, absque interruptione, incrementa cepit; & noſtra prognoſis, eam ſcilicet cito ſanitate ſat bonâ fruituram, tandem adimpleta eſt. Quatenus autem noſtra aſſertio, eam nimirum recidivæ expoſitam cenſendam eſſe, vera erit, adhuc in dubio eſt; ſed valde lætabor, ſi hoc reſpectu, timor noſter vanus fuerit.

Antea de medendi methodo dictis nihil jam addendum eſt. Cum in hoc caſu niſus verſus atoniam, una cum diatheſi inflammatoriâ mihi adeſſe videretur, medicamentum adhibendum eſſe putavi, quod poſſidebat vires ſtimulantes, & tonicas, quadantenus conjunctas, quales in Elixirio Guajacino obviæ ſunt: &, quamvis antehac hoc medicamento cum ſucceſſu uſus ſim, ſanatâ tamen hac ægrâ majori, quam antea, fiduciâ aſſerere poſſum, eo me nullo in caſu uſum eſſe, cum tam bono, ac quidem in hoc, eventu. Quando hoc Elixirio primum uti coepit, dolores tam violentos, præcipue in uno latere, perpeſſa eſt, ut nec ſtare, nec

 am-

ambulare, poſſet; &, quando lectum petebat; hi adeo augebantur, ut ſæpe per totam noctem dormire non poſſet. Ex quo vero medicamento hoc uſa eſt, dolores multum mitescebant; quare nullum aliud medicamentum adhibui, ſed illud ſemper præſcripſi, donec morbus tam levis eſſet, ut, eam nos ultra viſitare, ſupervacuum eſſe judicarem. Tunc dimiſſa fuit, dato nobis, haud levi, ut opinor, teſtimonio potentiæ Guajaci, tali modo exhibiti, in certâ quadam Rheumatismi ſpecie.

In hoc caſu, ut jam annotavi, Elixir Guajacinum Volatile adhibui, ſed ſi ſimilis mihi occurreret caſus, formulam quodammodo aliam præſcriberem, & vice Elixirii Volatilis Elixir ſimplex adhiberem: ſic determinare potero, quantas vires Guajacum poſſidet; nam magnas hujus præparati doſes quibusdam objectionibus obnoxias eſſe puto. Propter calidam, & ſtimulantem, menſtrui naturam, haud tuto poteſt ſine dilutione propinari, &, ſi addatur aqua, Guajaci præcipitatio neceſſario ſequitur. Simplicis vero Elixirii menſtruum, quod ſpiritus eſt rectificatus dilutionem non poſtulat, etiamſi major quantitas, quam ſemiuncia, exhibeatur; & tamen Guajacum eodem modo ſe habere in hac formulâ, quam in Elixirio Volatili, ſupponere licet.

CASUS

CASUS V.

Obſervationes de Catarrho Chronico.

E. B. Calceolarius, quadrageſimum octavum ætatis annum agens, admiſſus in valetudinarium 11mo Novembris 1776, de crebrâ & moleſtâ tuſſi, cum copioſâ, & viſcidâ expectoratione, matutino præſertim tempore, queritur. Ponderis, & frigoris in præcordiis ſenſum percipit; reſpiratio aliquantum eſt impedita; lingua munda, & humida; appetitus naturalis; alvus adſtricta; cutis frigidiuscula; Pulſus 84.

Duodecim abhinc annis hac tuſſi primo laboravit, & hyeme plerumque fuit vehementior. Nulli cauſæ particulari morbum ſuum attribuere poteſt. Multis uſus eſt remediis, & præcipue pilulis ſcilliticis, quæ alvum lubricam, & ſpirandi difficultatem minorem, reddiderunt.

Capiat horâ ſeptimâ veſpertinâ pulveris Ipecacuanhæ ſcrupulum unum; nec non omni nocte, ſub horam ſomni, pilularum ſcilliticarum grana quinque.

Die 7mo Decembris. Emeticum vomitus quidem frequentes excitavit, ſed nec tuſſim, nec ſpirandi difficultatem manifeſte mitigavit. Aſſiduc

due pilulas per aliquod tempus ſumpſit; & tuſſim, difficultatemque ſpirandi inde mitigatas eſſe putat: iis vero aliquot jam dies intermiſſis, hæc ſymptomata graviora evaſerunt.

Continuentur pilulæ ſcilliticæ, ut antea, & applicetur veſicatorium nuchæ, deinde imponatur unguentum epispaſticum, ut fiat fonticulus.

Die 14to Decembris. Tuſſis aliquanto mitior fuit paucos dies, poſt applicatum veſicatorium, cujus vi copioſa prodiit humoris quantitas, ſed imminutâ hac evacuatione majorem illi moleſtiam, quam utilitatem, creavit.

Continuentur fonticulus, & pilulæ, ut antea.

Die 21mo Decembris. Ad hoc usque tempus multum humoris ex fonticulo prodiit, & tuſſis minor, ac reſpiratio melior, eſt.

Continuentur medicamenta.

Animadverſiones in hunc caſum die 23tio Decembris propoſitæ.

Morbus, quo hic æger laborat, ſatis diſtincte deſcriptus eſt; ſed ſimul eſt æque moleſtus, ac pertinax, atque in hac regione frequens. Varios ſeveritatis gradus, variaque phænomena præ ſe fert: & hinc, non ſolum inter vulgus, ſed etiam inter doctos, varia nomina obtinuit. Sic quidam hujus ægri morbum ad tuſſim referunt; nam ab omnibus propemodum, qui morbos deſcripſerunt, tuſſis, ut proprium morbi genus, conſideratur; quamvis & alii ſint, qui,

qui, ob reſpirandi difficultatem hic præſentem, cum ad aſthmata referrent, & quidem ad illam aſthmatis ſpeciem, quæ humida nuncupatur. Meâ autem ſententiâ, hi omnes hoc in caſu a vero aberrant; nam hunc caſum, aliosque, qui nunc curæ noſtræ magno numero ſunt commiſſi, ad catarrhi genus referendos eſſe, cenſeo.

Fatendum quidem eſt, ſymptomata hoc in caſu obvia, non convenire cum definitione catarrhi, quemadmodum a pluribus datur auctoribus, & præſertim ab his, qui catarrhum ad pyrexiarum genus, vel febriles morbos, referunt. Verum hic dicendum mihi eſt, me hanc methodum illud genus ordinandi mancam exiſtimare: &, ſi profluviorum ordinem, morboſam augmentationem naturalium excretionum comprehendentem, ſpectamus, morborum familiam, inter quos magna exiſtit naturalis affinitas, formant; hoc ſenſu, febris profluvia comitari, vel non comitari, poteſt; quamvis tamen, ſi febris adeſt, hæc non ut ſymptoma eſſentiale, ſed tantum ut accidentale, conſideranda ſit. Ad ordinem profluviorum, ſic definitum, Catarrhum referendum puto, cum morbus ſit, cujus eſſentia conſiſtit in adauctâ muci evacuatione ex glandulis in membranâ Schneiderianâ mucoſâ poſitis, præſertim in ea hujus parte, quæ pulmones inveſtit.

Quidam tamen morbus eſt, Catarrhi ſpecies voca-

vocatus, qui huic definitioni, & ordinandi methodo valde adverſatur; contagioſum innuo morbum, qui titulo *Influenzæ*, vel *Catarrhi Epidemici* notus eſt, & diverſis temporibus per totam Europam ſæviit. Hujus morbi febris ſymptoma videtur eſſe eſſentiale, nam, licet in ſuâ naturâ nullam eſſentialem affinitatem, cum catarrho frigore nato habeat, tamen absque dubio a peculiari febrili infectione pendet, nec majorem cum catarrho, frigore contracto, analogiam habet, quam habent variolæ cum his cutaneis eruptionibus, quæ externâ ſpecie maxime cum iis convenire videntur.

His de catarrhi noſologiâ præmiſſis, reſtat, ut, ſecundum morbi ſchema jam exhibitum, caſum noſtri ægri ad illud genus referamus. Morbus ſatis definitur copioſâ viscidâ expectoratione; nam fere certo aſſerere poſſumus, tusſim mere ab hujus materiei accumulatione, in ramificationibus, & veſiculis bronchialibus, oriri.

Hic tamen altera quæſtio ſponte orietur, nimirum ex quot diverſis ſpeciebus genus jam definitum conſtet? & ad quamnam inter has noſter caſus ſit referendus? ſed fatendum mihi eſt, me ex horum numero eſſe, qui multiplicationem ſpecierum certis generibus comprehenſarum, ſupervacuam, & incongruam, putant. Verum quidem eſt, curationem certo cuidam generi appropriatam, nequaquam omnibus ſpeciebus, ad id pertinentibus, accommodatam eſſe;

eſſe; at nec ſpecierum quarundam curatio ſemper varietatibus applicari poterit; & in praxi, methodus, cuidam ſingulari caſui propria, omnibus ejus circumſtantiis accommodari debet. Credo igitur, genera tunc tantum dividenda eſſe, cum magnum, & manifeſtum, discrimen adeſt; præſertim in medicinâ docendâ.

In morbo, quem tractamus, duæ occurrunt res, inter quas diſtinctio eſt facienda; utrum ſcilicet morbus ad acutos, an ad chronicos, referendus ſit. Si ad acutos referri debet, plerumque tanquam effectus certæ cujusdam rei oritur, valida eum comitatur febris, & cito vel in ſanitatem, vel in alium morbum deſinit, frequentiſſime in phthiſin pulmonalem, aut catarrhum chronicum. Aliquid de *illa* annotare hujus loci non eſt, ſed noſter caſus ad *hunc* conſiderandum nos naturaliter ducit.

Sub nomine Catarrhi Chronici adauctam intelligo muci ſecretionem in pulmonibus absque febre, & plerumque absque aliquo inflammationis gradu. Hic morbus, ut jam obſervavi, frequens & ſimul moleſtus eſt; ac idcirco practicorum ſcriptorum attentionem occupavit, qui eum fere ſemper titulo *Catarrhi Senilis* deſignaverunt; quod nomen ei etiam optime congruit, nam haud abnui poteſt, morbum eſſe præcipue ſenum; ſed, cum juniores etiam homines nonnunquam invadat, illum potius *Chronicum* dicendum puto. Certe hoc in caſu *Senilis*

lis ægre nuncupari poſſet, cum de viro agatur, qui nondum quinquageſimum ætatis annum attigit. Hæ igitur ſunt rationes, quare hujus ægri morbo *Catarrhi Chronici* nomen dedi.

Hic morbus fatalem ſæpe habet exitum; ſed plerumque tamen non ſubito; nam mortem frequentius inducit, atterendo corpus, & raro aliter; quamvis tamen nonnunquam ægri ſuffocatione cito e medio tollantur. Sed, quod ad hunc ægrum attinet, ejus morbus non tam vehemens eſt, ut talem eventum valde timeamus; & ejus vires non niſi parum imminutæ ſunt. His addatur, eum nondum provectam valde ætatem attigiſſe, quare aliqua nobis ſpes eſt, eum integre reſtituendi. Veriſimilius autem eſt, nos eum a morbo non penitus liberaturos, & eum, ut olim, plus minus hyemali tempore eo affectum iri. Spero tamen, nos ei, juſtâ curationis methodo, tandem levaminis aliquid allaturos, præcipue ſi domi ejus conditio talis eſt, ut noſtros conatus ſecundet.

Præcipuus in hujus morbi curatione, in genere, ut opinor, ſcopus eſt, ſecretionem per pulmones in ſtatum naturalem redigere, quod præſertim efficietur imminuendo determinationem ſanguinis verſus pulmones. Quare non minus neceſſarium eſt, cauſas evitare, talem determinationem producentes, quam his uti auxiliis, quiæ ſanguinis impetum in alias partes majorem reddunt. Ex omnibus autem cauſis,

quæ

quæ in genere ſanguinem ad interna viscera alliciunt, potentiſſima forſitan eſt frigoris ad corporis ſuperficiem applicatio: hinc morbus, de quo nunc agimus, nunquam non graviſſimus eſt hyemali tempore; ac ad eos pertinet, qui per illud tempus ab ægris facilius feruntur, ſi calidum clima inhabitant. Si vero hoc locum habere non poteſt, æger omni modo contra frigus muniendus eſt idoneis veſtibus, & domicilio commodo, his enim modis æquabilis circulatio imprimis ſuſtentatur.

Præterea ſanguinis ad pectus determinatio omnibus his modis imminuetur, qui ejus impetum in partes vicinas dirigunt; & in hunc finem nihil meliorem, & magis conſtantem, producit effectum, quam aliqua ex quadam corporis parte evacuatio, fonticuli, vel ſetacei ope. Simili prope conſilio, emetica etiam ſæpe adhibentur; nam peculiares hæc poſſident virtutes, humores valide ſuperficiem verſus determinandi, quamvis tamen fatendum ſit, hanc determinationem non permanentem eſſe: ſed hoc in morbo fortaſſe aliâ de cauſâ majorem adhuc utilitatem afferunt; nam gravia hujus morbi ſymptomata, quamvis ultimi ſint auctæ ſecretionis muci effectus, tamen, ut immediate, a muci accumulatione in canalibus, & receptaculis aëri deſtinatis orta, conſiderari debent: hinc magnum levamen ab omnibus his medendi modis exſpectari poteſt, qui ſtatim pectus, pro-

movendo expectorationem, levant; & hoc reſpectu nullum forſan remedium emeticis comparandum eſt.

Emetica tamen non niſi certis intervallis iterari poſſunt; hinc conari debemus levamen obtinere aliquâ aliâ re, eundem habente effectum, & qua magis conſtanter uti licet. Si igitur revera remedia dantur, quæ, ſyſtema circulatorium intrando, & ſic ad pulmones perveniendo, muci promovent excretionem, ea hunc in ſcopum certo adhibebimus. Talium quidem remediorum exiſtentiam nonnulli denegant; ſed diverſam me hac de re opinionem fovere, lubens fateor; nam mihi æquo jure ſupponi poſſe videtur, effectus remedii, circulationem ingreſſi, ad excretoria vel ſecretoria pectoris organa, quam ad ea renum & glandularum ſalivalium, ſe manifeſtare poſſe. Hoc autem circa duo poſteriora locum habere, abnuendum non eſt; &, quod ad me attinet, pro certo habeo, idem & de pectoris organis obſervationibus confirmari. Præcipue vero hoc fit a multis medicamentis, a Scilla verbi gratia, quæ, poſtquam ſanguinis maſſam intrarunt, renes afficiunt. Talia quidem remedia in hoc morbo malum habitura effectum credere poſſemus, in quantum ſcilicet ſecretionem augent; ſed hoc ſatis ſuperque compenſatur eo, quod excretionem ſimul majorem reddant, & ſic pulmones exonerent.

Dum

Dum hæc medicamenta expectorationem adjuvant, aliquo etiam modo materiam excretam mutare videntur; nam poſt eorum uſum multo minus viscida, & tenax, apparet; quod tamen probabiliter non ſit, quoniam muci, tum ſecreti, alia eſt natura, ſed tantum quia excernitur; antequam ſtagnando valde viscida evaſit. Quamvis itaque talia remedia parum, ad perfectam ſanationem obtinendam, tendere videntur, morbum tamen reddendo mitiorem, inſigne ægris afferunt levamen.

Hæ in genere fuerunt rationes, quare hunc caſum ita tractavi, atque in poſterum tractandum puto; & obſervationes, quæ jam prolatæ ſunt, vobis ſatis explicabunt, quare fonticulum, pilulas ſcilliticas, & repetita emetica adhibui.

Priora duo remedia per aliquod temporis ſpatium absque intermiſſione adhibere ſtatuo; emetica autem pro re nata uſurpabuntur, quando nimirum ex magnâ ſpirandi difficultate, magnam muci quantitatem in pectore congeſtam eſſe ſuspicandi locus erit. Spero igitur, ſi cætera medicamenta optatos produxerint effectus, hæc minus neceſſaria fore. In poſterum forte, in alia corporis parte, vel alio modo, fonticulum faciemus; & Scillæ Gummi Ammoniacum, vel Aſſam Fœtidam addemus. His exceptis veriſimiliter nihil aliud agemus, niſi nos quædam, quas

nunc ignoramus, circumſtantiæ, ad hoc cogerent.

Sequela.

Deſcriptâ medendi methodo hujus ægri morbus aliquanto mitior reddebatur: ſed cum fonticulus multum doleret, locum ejus primum mutavi, & eum poſtea penitus coaleſcere feci. Quamvis pilulis ſcilliticis uteretur, ventris tamen conſtipatione laborabat; ſed huic Cremor Tartari medebatur. Verum, licet hoc modo morbi violentia mitigaretur, tamen eum per totam hyemem multum exercuit; & levamen, quod circa finem menſis Maji, cum e Valetudinario dimiſſus fuit, percepit, magis tempeſtatis mutationi, quam medicamentis adhibitis, adſcribi debere, credi poteſt.

CASUS VI.

Obſervationes de Hepatis morbo, Mercurialibus medicamentis tractato.

I. F., quadrageſimum octavum ætatis annum agens, arte lecticarius, naturâ robuſtus, in valetudinarium admiſſus eſt die 20mo Novembris 1776. In hypochondrio dextro tumor ſatis magnus, umbilicalem regionem verſus extenſus, per-

percipi poteſt. Hic tumor, etiam cum premitur, non multum illi affert incommodi; ſed ſemper tuſſi titillatoriâ, & reſpiratione difficili, laborat. Non nihil ſitit, appetitus multum eſt inminutus, & propter tuſſim male dormit. Pulſus 104. Alvus regularis; lingua alba, & humida; urina & colore, & quantitate, naturalis.

Duobus circiter abhinc annis tumor primo percipiebatur, & inde gradatim increvit; atque ab eo fere tempore tuſſi quoque vexatur. Proxime elapſo menſe Junio vomitu ſanguinis corripiebatur, qui, poſtquam menſem circiter eum afflixerat, ceſſavit. Ante duos, & quod excurrit, annos, duorum vel trium menſium intervallo, ſanguinis etiam ſeceſſu laboravit; & uno circiter abhinc anno, inteſtinorum torminibus cruciatus eſt: ſed hæc ſanguinis vomitu mox ſuperveniente ſublevabantur, & poſtea minus fuerunt vehementia.

Nulla morbi cauſa ægro nota eſt, & remedia, quibus magno licet numero uſus eſt, nullum fere habuerunt ſucceſſum. Ante aliquod tempus aquam mineralem catharticam *Pitcathli* ſumpſit, qua viscerum abdominalium dolores aliquantum levatos eſſe dicit.

℞. *Unguenti mercurialis unciam unam,*
Camphoræ grana decem.

Terantur optime ſimul, ut fiat unguentum, quo inungatur tumor abdominis omni nocte, & ſingulis vicibus ſcrupulus unus adhibeatur.

Die 23^{tio} Novembris. Putat æger, tumorem in abdomine minus ad tactum dolere, ex quo unguento uti incepit. Sanguinem ano non ejecit; ſed cætera ſymptomata in eodem fere, ac antea, ſtatu permanent, & tuſſis valde moleſta eſt.

℞. *Hydrargyri granum unum.*
Conſervæ fructus cynosbati drachmam dimidiam.
Terantur optime ſimul ad perfectam globulorum extinctionem, & fiat bolus horâ ſomni ſumendus.
Repetatur doſis ejusmodi alternis noctibus.

Die 30mo Novembris. Unguento uti pergit, & tres bolos ſine aliquo incommodo ſumpſit. Dolorem in tumore aliquanto minorem eſſe putat, nec redierunt dejectiones ſanguinolentæ.

Continuetur unguentum, & repetatur bolus tertiâ quaque nocte.

Die 7mo Decembris. Medicamenta, uti præſcripta erant, aſſumpſit, & levem in gingivis dolorem per triduum ſenſit. Dolorem tumoris abdominalis minorem eſſe, quam antea, putat, ſed tumor ipſe nihil imminuitur.

Omittantur boli, continuetur unguentum, & capiat pilularum thebaicarum grana decem alternis noctibus.

Die 14to Decembris. Putat, tuſſim mitiorem eſſe, ex quo pilulis uſus eſt; & nihil ſanguinis alvo ejecit. Dolor abdominis ei minus incom-

modi

modi affert, & tumorem aliquantum imminutum credit.

Continuentur medicamenta, & repetatur bolus, ut antea, alternis noctibus.

Die 21mo Decembris. Aliquando adhuc cupri ſaporem in ore percipit, ex quo boli repetebantur, ſed nulla ſalivationis adſunt indicia. Tusſis, & ſpirandi difficultas, per aliquot jam dies admodum moleſta fuerunt.

Continuentur medicamenta.

Animadverſiones in hunc caſum, die 23^{tio} Decembris propoſitæ.

Hujus ægri morbus talis eſt, ut mihi non omni difficultate carere videatur; & majorem adhuc difficultatem in curatione dirigendâ, quam in morbi naturâ determinandâ, prævideo.

Symptomata, quibus hic æger nunc afficitur, pauca ſunt; & eorum maxima pars ſenſibus ſeſe manifeſtat. Prima, & maxime momentoſa, quæ hic ſe offert, quæſtio, tumorem in abdomine reſpicit. Propter ejus æquabilitatem hunc a morbo cujusdam viſceris, in abdomine contenti, pendere, concludere licet; neque aliud viscus, majori veritatis ſpecie, quam Hepar, ſuspicari poſſumus. Bene nimirum notum eſt, ſatis familiares eſſe hujus visceris morbos: &, quamvis hi nonnunquam per totam vitam absque incommodo ferantur, in aliis tamen caſibus ſequelæ admodum graves ſunt.

Hunc itaque Hepatis morbum, tanquam par-

tem morbi, quo æger noſter laborat, maxime eſſentialem conſidero; & jure etiam rogari poteſt, an non omnium ſymptomatum cauſa ſit? reliqua, quibus nunc maxime torquetur, ſymptomata, tuſſis ſunt, & difficilis reſpiratio, quæ, vel a catarrho, vel ab Hepatis morbo, pendere poſſunt. Hic autem notandum eſt, ægri tuſſim quibusdam titulis a catarrho chronico differre; &, cum, uti in caſus hiſtoriâ memoratur, ſemper titillatoria ſit, eam non proficiſci a ſtimulo ex quantitate muci viscidi orto, credere poſſumus, nam, cum hoc locum habet, tuſſis paroxysmi non tam frequentes, quam ſeveri, ſunt, & rariſſime tunc tuſſis paroxysmus, ſine expectoratione ſatis magnæ viscidi muci quantitatis deſinit. Hinc igitur fatendum mihi eſt, me admodum probabilem judicare hanc ſententiam, qua & tuſſim, & ſpirandi difficultatem, a morboſo Hepatis ſtatu oriri ponitur.

Quomodo Hepatis intumeſcentia ſpirandi difficultatem inducat, facile poteſt percipi; nam aucta hujus visceris moles liberum diaphragmatis motum neceſſario impedit, præcipue cum decumbit æger; & nullus dubitandi locus eſt, quin a diaphragmatis motu præcipue pendeat reſpiratio; nec admodum difficile eſt intellectu, quomodo tuſſis inde excitari poteſt; nam libero diaphragmatis motu impedito, irritari pulmones, neceſſe eſt; & hoc modo tuſſis frequentiam ſine expectoratione explicamus.

Vir

Vir quidam inter clariſſimos, qui nunc in *Britanniâ* vivunt, referendus Medicos, multorum morborum cauſam Hepati adſcribit, & ii, quorum curam geſſit, frequenter de Tuſſi Hepaticâ, Phihiſi Hepaticâ, & ſimilibus, loquuntur. Sed, quamvis nequaquam credam, Hepatis imperium, tam late, atque aliqui volunt, patere, tamen æque injuſtum foret, denegare, id ſæpe cauſam morbi eſſe; &, cum, ut in caſu hoc, etiam ex ſenſuum teſtimonio, pro certo fere dicere poſſumus, hoc viſcus minime ſanum ſit, tunc ſaltem probabiliſſima morbi cauſa dici debet.

Poſt has animadverſiones circa ſymptomata, quibus noſter æger nunc laborat, proxime notandum venit, eum, ex quo ægrotare cœpit, alia paſſum eſſe ſymptomata, quæ, licet non conſtantia, tamen haud valde longis intervallis reverti obſervabantur; & quorum recidivis eum obnoxium fore non ſine ratione cenſemus; ſanguinis volo evacuationem ſurſum deorſumque, ſed præcipue modo poſteriori.

Hic etiam dubitandi locus eſt, an hoc ſymptoma connexionem forte habeat, vel non habeat cum Hepatis morbo.

Certum eſt, tumorem, ſchirrumque Hepatis ſine tali phænomeno frequentiſſime occurrere; & æque certum eſt, ſanguinem per canalem alimentarem eliminari poſſe, cum ab aliis fontibus derivetur, ſed ſæpiſſime talis ſanguis ex vaſis ipſius ductus inteſtinalis provenit; & præ-

terea alia res eſt, quæ adhuc majori dubio anſam præbet; Hepatis tumor ſcilicet duos tantum annos duraſſe dicitur, & hæc ſanguinis evacuatio, uti certiores facti ſumus, per intervalla, longe ante hoc tempus locum habuit.

His omnibus ſimul ſumptis, pro certo non affirmare auſim, ſanguinis evacuationem a morbo Hepatis proſapiam ducere. Verumtamen dico, non improbabile eſſe, eam ab hoc originem duxiſſe. Aſſumi certe poteſt, Hepar minime ſanum fuiſſe diu ante, quam aliquis tumor manifeſte apparuit, & illud tamen ab initio ad finem usque nullum inſignem dolorem excitavit. Quum his addatur, nunc parum ſupereſſe dubii, Hepar malo quodam affici, magis rationi conſentaneum erit, id cauſam ſymptomatum habere, quam ea ad aliam, cujus etiam exiſtentia incerta eſt, referre. Sanguis ex Hepatis vaſis profluens facile in canalem inteſtinalem venire poteſt; &, cum ex hoc fonte prodit, certius ſurſum deorſumque ejici poterit, quam ſi aliunde advenerit. Bene notum eſt, fluidum in Hepate ſecretum per vomitum, alvumque ejici, &, ſi Bilis emeſis & catharſis frequenter contingunt, ſanguis, etiam ex eâdem origine ortus, hiscè viis quoque ejici poteſt. In ſummam igitur, morbum hujus ægri Hepaticum nuncupari poſſe, exiſtimo.

Cauſa, quæ hunc morbum primo induxit, nos prorſus latet, & ipſe æger eam nulli ſpe-

ciali

ciali cauſæ attribuit. Hinc igitur nullo modo elucidari poteſt morbi natura; & omnes conjecturæ, ex ejus vitæ genere deſumptæ, valde incertæ ſint, oportet. Sed, ſi lecticarii laborem perpendamus, ultro fatebimur, eum validis morbi hujus cauſis occaſionalibus expoſitum fuiſſe. Nullum quippe forſan vitæ genus eſt, in quo homines majoribus caloris & frigoris viciſſitudinibus expoſiti ſunt; ideoque licet non niſi homines robuſtiſſimi, & valde alacres, huic operi pares ſint, vita tamen eorum maxime precaria judicatur ab his, qui durationem vitæ hominum computarunt. Aſſumamus igitur, hanc cauſam huic morbo occaſionem dediſſe, eamque uſu frequentiori liquorum ſpirituoſorum adjutam eſſe; nam tales homines propter vitæ, quod degunt, genus ſpirituoſis liquoribus admodum dediti ſunt; & omnibus notum eſt, hos admodum frequenter Hepatis morbos producere, ſi nimia quantitate ingeruntur.

Verum, quidquid etiam de hujus morbi origine credamus, illud ad noſtram de eo prognoſin formandam parum faciet; ſed hoc tamen libenter fateor, me bonum eventum nequaquam prævidere. Verum quidem eſt, ſymptomata nunc non admodum gravia eſſe: tuſſis etiam, quæ maximam illi moleſtiam creat, revera minimi eſt momenti; nam hæc eum quidem fatigare poteſt, ſed illam non ut periculoſam conſidero;

dero; eaque, quamvis forſitan prorſus ſubigi non poſſit, manente morbi cauſâ, tamen magnopere levari poteſt. Veriſimillimum eſt, tumorem in abdomine perceptum obſtinatiorem fore; & forſan non tantum omnes noſtros conatus fruſtrabit, ſed etiam in ſuppurationem deſinet; unde æger tabe Hepaticâ conſumptus obibit. Nullam tamen cauſam video, cur in hoc caſu progreſſus tam rapidos timeamus; ſique æger varia remedia, quæ cum quadam ſucceſſus ſpe illi poſſunt præſcribi, vult experiri, nobis ſaltem horum periculum faciendi dabitur occaſio; cæterum nulla fere mihi ſpes eſt, me morbum ſanaturum.

Ad hunc Hepatis morbum, quem ſymptomatibus, quibus æger affligitur, fomitem præbere puto, debellandum, duo præcipue facienda ſunt; obſtructio ſcilicet hujus visceris eſt tollenda, & debita per ejus compagem circulatio reſtauranda. Non autem exiſtimo, tumorem, obtento etiam hoc ſcopo, penitus diſpariturum; nam, quoniam malum hoc tam diu duravit, ſolidas partes quodammodo adauctas eſſe, admodum probabile eſt. Credo tamen, parum adeſſe dubii, quin major tumoris pars, a fluidis impactis ortum ducat, & quin, liberâ rurſus factâ circulatione, ſanari poſſit. Hoc facto, ulteriora etiam mala præcavebuntur.

Ex omnibus remediis, ſub generali deobſtruentium titulo cognitis, nullum fortaſſe diutius, quam

quam Mercurius, magno in honore habitum eſt; & certiſſimis ſcimus exemplis, hoc ſemimetallum, circulationem ingreſſum, peculiaris, & præterea potentis, ſtimuli vires in certis quibusdam partibus exſerere. Ut hic finis obtineatur, eum, in hoc caſu, & externe, & interne, adhibui. Priori modo hoc remedio, non tantum ad illud in corpus introducendum, ſed ut quodammodo ſuppleret vicem medicamenti topici, uſus ſum; atque illi in hunc finem parvam camphoræ quantitatem addidi, ſperoque vires ejus, frictione integumentorum, aliquatenus ad viscera perventuras; puto etenim me illud nonnunquam utile vidiſſe in caſibus, in quibus æque exigua connexio morbum inter & remedium aderat.

Sed, etiamſi frictio nullum hoc modo producat effectum, ita tamen Mercurius tam certe corpus intrat, quam ſi alicui alii parti affricatur. Huic autem methodo internum Mercurii uſum addidi, ut ſic certius introduceretur, & ab eo citius corpus requiſitam reciperet quantitatem, quam ſi unico tantummodo illud in corpus introducere conaremur.

Mercurium trituratione tantummodo comminutum præſcripſi; ſub hac enim formâ, maxima ſpes eſt, fore ut per aliquod tempus in corpore retineatur; & ex hac retentione bonum præcipue ſucceſſum prævidebam. Triturationem hanc fieri juſſi cum conſervâ Fructus Cynos-

Cynosbati, quam nonnulli magnâ virtute Mercurium exſtinguendi præditam eſſe exiſtimant; attamen, quatenus ſuppoſitio hæc vera ſit, ignoro.

His vel aliis mercurialibus præparatis, hunc ægrum per aliquod tempus tantum non ſalivantem detinere volo; non quia aliquid boni ab hac evacuatione in hoc caſu prævideo; ſed quia eam conſidero ut unicum certum indicium Mercurii in corpus introducti.

Si, poſt juſtum experimentum, hæc methodus votis non reſponderit, quædam fortaſſe ex deobſtruentibus, a Cl. Storckio tam eximie laudatis, experiemur, præcipue Cicutam, vel Strammonium. Quamvis enim minime credam, hæc remedia adeo efficacia eſſe, ac exhibitum eſt, non dubito tamen, quin magnas poſſideant vires, & quin nonnunquam miros produxerint effectus ſalutares. Non autem mea me fallet opinio, ſi hæc etiam in hoc caſu irrita fuerint.

Dum ſic tentamus methodos ad curationem radicalem tendentes, allevatio ſymptomatum urgentium non negligenda eſt. In hunc finem adhuc ſane parum fecimus; quia nihil, niſi tuſſis, urget. Ad hanc vero mitigandam *pilulas thebaicas* præſcripſi; &, quia hæ levamen præbent, eas pro re nata in poſterum dabo; vel ad alia remedia, ut demulcentia, vel veſicantia, recurram. Sed, quia tuſſis mere titillatoria eſt, fateor, me plus ab opiato, quam ab ullo alio,

alio, remedio ſperare; & in caſu hoc, *Trochisci Bechici cum Opio*, ſecundum novam formulam pharmacopœæ *Edinburgenſis* præparati, cum utilitate adhiberi poterunt.

Sequela.

Mercurius per aliquot hebdomades absque interruptione datus eſt. Tuſſis minus moleſta erat; nunquam ſanguinem per alvum ejecit; & tumorem in abdomine aliquanto imminutum eſſe putabat. Tunc non amplius dedi Mercurium, nec ullum aliud remedium tentavi.

CASUS VII.

Hiſtoria Efflorescentiæ Petechialis absque ſymptomatibus febrilibus, feliciter ſanatæ.

JOANNA ALLEN, undecim annos nata, per totum corpus maculas habet exiguas, rubras, extra cutis ſuperficiem non eminentes, & nec humidas, nec dolentes. Frons etiam, atque brachia, ſed præcipue extremitates inferiores, maculas lividas, parum ſupra cutem elevatas, ac vibices multum referentes, exhibent. Hæ magnitudine variant, aliæ Semicoronam, aliæ Solidum, magnitudine æquant. Aliquando de levi capitis dolore queritur, & gingivæ, ultimis tribus diebus, ſemel, vel bis, ſanguinem plora-

plorarunt, ſed non magnâ quantitate, & abſque aliquâ cauſâ manifeſtâ. Alvus regularis; pulſus naturalis; appetitus bonus; lingua humida, & munda; ſitis nulla; cutis frigidiuscula.

Maculæ petechiales decem circiter abhinc diebus, & biduo poſt maculæ lividæ, primo obſervabantur. Harum numerus gradatim increvit; & modo tres dies ſunt elapſi, ex quo ſanguis primum gingivis exivit.

Hæc ſymptomata nata credit eo, quod, menſe circiter elapſo, magnam fabarum communium quantitatem comedit; nam biduo poſt, magnâ laſſitudine, cum horrore, & frigore afficiebatur; quibus ſymptomatibus ſuccedebant cutis calor, dolor capitis, & vomitus, qui quinque vel ſex dies duravit; proſtratus etiam erat appetitus, & ſitis valida. Prima hebdomade, poſtquam his laboravit ſymptomatibus, bis catharticum, nec non bis emeticum medicamentum ſumpſit. Poſt uſum emeticorum, vomitus ſpontaneus evanuit; & tam bene ſe habuit, ut octavo a febris initio die foras prodire poſſet. Noviſſimo die Dominico tertium ſumpſit Catharticum, ſub cujus operatione quantitatem ſatis magnam ſanguinis per alvum ejecit: ſed exinde nihil porro ſanguinis prodiit.

Capiat pulveris Corticis Peruviani ſcrupulum unum ter in dies, ex quovis vehiculo.

Die 28vo Decembris. Corticem Peruvianum absque

absque interruptione, & ſine ullo incommodo, ſumpſit. Multæ maculæ rubræ, nec non plures magnæ maculæ, poſtquam nos ultimo acceſſit, non amplius adſunt; ſed aliæ in diverſis locis apparuerunt, & ſæpius, ſed parce, ſanguis ex naribus, & ore, prodiit. Appetitus bonus manet. Cutis ſubfrigida; pulſus alvusque naturales.

Die 4to Januarii. Maculæ petechiales jam penitus fere evanuerunt, & magnæ, quæ reſtant, maculæ non tam vividum amplius colorem ubique habentes in flavedinem vergunt. Quædam tamen poſt 28um Decembris apparuerunt. Nullus, vel ex naribus, vel ex ore, ſanguis exiit. Per aliquot jam dies de dolore & tumore in regione ventriculi queritur. Appetitus aliquantum eſt imminutus; alvus valde adſtricta. Pulſus 96.

Intermittantur medicamenta, & capiat cras mane ſalis Glauberi ſemunciam, ex aquæ ferventis unciis ſex. Repetatur talis doſis mane die Martis.

Die 14to Januarii. Prima ſalis Glauberi doſis leviter tantum, ſecunda valide, alvum purgavit. Ex quo ſalem ſumpſit, dolor, & tumor ventriculi multum remiſerunt. Nulla amplius adfuit ſanguinis evacuatio. Vibices, & petechiæ, jam penitus fere abierunt. Sed die ultimo Jovis lumbricum magnum ejecit. Pulſus, alvusque

jam ſunt naturales. Appetitus ingens aliquando.

℞. *Pulveris Florum Chamæmeli ſcrupulum unum,*
Syrupi ſimplicis,
Aquæ Fontis, ſingulorum ſemunciam. M. fiat hauſtus, horâ ſomni ſumendus & repetatur omni nocte.

Habeat etiam mane die Veneris doſin ſalis Glauberi, ut antea.

Die 18vo Januarii. Aſſidue præſcriptum remedium ſumpſit, & ſal Glauberi bene votis reſpondit, ſed nulli prodierunt vermes; & ab omnibus ſymptomatibus libera fuit. Dimittatur.

Animadverſiones in hunc caſum die 1mo *Februarii propoſitæ.*

Caſus hujus ægræ, a nobis aliquo abhinc tempore ex valetudinario dimiſſæ, mihi multis titulis ſingularis apparet; & fateor, me nunquam antea ejusdem morbi exemplum vidiſſe; imo non, niſi nuper, cum inveniſſe deſcriptum, vel ſaltem tam imperfecte, &, ut ita dicam, perfunctorie annotatum, ut exiguam mereretur attentionem. Sed paucis abhinc menſibus, a Cl. Baldingero, Profeſſore *Gottingenſi*, plures ibi editas inaugurales diſſertationes accepi; & inter eas unam, cui titulus erat *De Petechiis ſine febre*, auctore Ed. Graaf. Titulus hicce, ut verum fatear, non magnam me illi fidem ha-

habere fecit: genuinas quippe Petechias Typho, vel febribus putridis, & quidem in earum peſſimis ſtadiis, proprias credidi; quare aliquem errorem locum habere rebar; cumque morbi cutanei facile confundantur, ſtatim putabam, eorum aliquem ſub Petechiarum larvâ hunc auctorem feſelliſſe. Verum, Diſſertatione hac attente perlectâ, alia mihi neceſſario amplectenda erat ſententia.

Theſis, quam volo, tota, caſum, continet, qui auctori occurrit, & quem dein commentatur. Tam multæ in hujus caſus hiſtoriâ circumſtantiæ concurrunt, ut de eruptionis naturâ nihil dubii relinquatur. Haud diu, poſtquam hanc legeram diſſertationem, jam deſcriptus mihi caſus occurrit, cujus talia erant ſymptomata, ut morbi a Graafio deſcripti manifeſtum præberent exemplum; nam omni fere titulo alter alterum refert.

In noſtro caſu evidentiſſime apparuit exiguarum rubrarum macularum eruptio, in diverſis corporis partibus, ſed præcipue in pectore, & collo. Hæ maculæ deſcriptioni Petechiarum ad amuſſim quadrabant; magnitudine, & figurâ, pulicum morſus referebant, hac in re tantum ab iis diverſæ, quod loco coloris læte rubri lividæ fere eſſent, nullaque in medio haberent indicia puncturæ, quæ pulicum morſibus ſemper adeſt.

Sed præterea, hanc rem alia phænomena ex-

tra dubium poſuere: cum his etenim Petechiis ingentes lividæ maculæ in variis corporis partibus ſe manifeſtabant, & eodem ſe habebant modo, ac ſanguis in membranâ celluloſâ, poſt ictus, vel aliam quandam illatam vim, effuſus. Hic etiam vibices apparuerunt, iis, qui febres putridas comitantur, admodum ſimiles; & ſæpe caſus vidi, qui, non pejoribus ſtipati ſymptomatibus, partium gangrænoſarum ſeparatione terminabantur. Eadem quoque notata ſunt phænomena in caſu a Graafio relato, ſed vibices tamen nec tam multæ, nec tam magnæ, fuerunt. Duas tantum memorat, hasque, quam in noſtrâ ægrâ, minores, ut ex ejus verbis videre eſt. *In regione* (inquit) *potiſſimum hypochondriacâ ſiniſtrâ conſpexi duas maculas virides, & ſugillationibus ſimillimas, quæ ovi columbini magnitudinem æquabant.*

Has ejusdem eſſe naturæ, ac eæ, quæ majori numero noſtræ ægræ aderant, nihil dubitari poteſt; & nullus fere ambigendi locus eſt de earum ex ſanguine effuſo origine; nam hoc in caſu vaſa in rupturam admodum prona eſſe videbantur. Antequam quippe ægra noſtræ curæ committebatur, non ſemel ſanguinis fluxum ſpontaneum ex gingivis perpeſſa eſt, & hoc etiam absque ullo ſpongioſæ texturæ, vel topici mali indicio; ſumptis quoque catharticis, ſatis magnam non raro ſanguinis copiam per alvum ejicere obſervata fuit.

Poſt-

Poſtquam curæ noſtræ commiſſa fuit, phænomena quodammodo eadem apparebant; nam eam æque pronam adhuc in hæmorrhagiam eſſe, liquebat, ex deorſum evacuato ſanguine, dum nullus erat ſuſpicandi locus, hanc plethoræ effectum eſſe; pulſus quippe nec velox, nec durus, erat, nec alia ſymptomata hunc corporis ſtatum vulgo comitantia, aderant.

Hæc erant morbi manifeſta ſymptomata, ſaltem de quibus ægra, cum ad nos veniret, querebatur. Semel quidem de quadam anxietate, vel tumore in regione ventriculi, queſta eſt; ſed hæc ſymptomata ab uſu remediorum potius, quam a morbo, originem duxerant; nec improbabile eſt, illa effectus acidi vitriolici fuiſſe. Quidquid ſit, haud diu manſit hoc incommodum, & parum moleſtiæ creavit.

Alio tempore ingens lumbricus alvo prodiit. Verum tamen exiſtimavi, hunc cum morbo ipſo nihil commune habere. Vermes quidem in inteſtinis nidulantes magnæ ſymptomatum varietati locum præbent; ſed me ignorare fateor, an præſentibus ſimilia ſymptomata unquam produxerint; nec raro ex canali alimentari eliminantur, quando alius morbus corpus affligit.

Ita rem hoc in caſu ſe habere, puto. Et, petechias, maculas lividas, ſugillationes, vel vibices, cum diſpoſitione in hæmorrhagiam, ejus morbum conſtituere, judicarem.

Sponte igitur quæſtio oritur, quodnam mor-

bi genus hæc ſymptomata conſtituant? Et ad hanc reſpondendum mihi eſt, me in nullo ſyſtemate noſologico locum ei bene accommodatum videre. Nonnulli quidem, qui de morbis egerunt, ſcriptores Petechias ut certum quoddam morbi genus conſiderant; ſed hic titulus ſemper iis datus eſt caſibus, in quibus Petechiæ febrilibus affectionibus junguntur. Hic igitur morbus ad tales non referendus eſt.

Symptomata, quæ hic adſunt, etiam aliquando in ſcorbuto marino occurrunt; ſed ille morbus multis quoque aliis, quæ hic deſunt, inſignitur indiciis; neque hoc in caſu progreſſus idem fuit, ac in ſcorbuto. Fœtor halitus, gingivæ ſpongioſæ, vires proſtratæ, ulcerationes, œdemata, vel ſimilia nequaquam in hoc caſu aderant; neque expoſita fuerat ægra cauſis, hunc morbum frequentiſſime, ſi non ſemper, producentibus. Igitur non, niſi admodum improprie, ad hoc genus poſſet referri. Non ideo tamen absque veri quadem ſpecie dici poteſt, eum cum ſcorbuto marino aliquo modo convenire; ſique ejus naturam modo quodam rationali determinare poſſumus, majoris hoc erit momenti, quam juſtum ei nomen dare. Si tamen mihi nomen quoddam fingere liceret, (& hac in re, hodierni Practici plus ſibi permiſſum, quam omnibus ſuis anteceſſoribus, credunt,) morbum hunc, *Petechianoſon*, morbum ſcilicet petechiis inſignitum, nuncuparem. Sed hæc

ap-

appellatio, ſive ſit juſta, ſive injuſta, parum hoc ad noſtram de ejus naturâ ſententiam faciet.

Fateor, me, in hoc caſu, omnibus ſimul ſumptis circumſtantiis, credere, morboſum quendam fluidorum ſtatum adeſſe, & quidem; abſque aliarum corporis partium, ſive ſolidæ tantummodo, ſive ſolidæ vivæ ſint, morbo. Certe, ſecundum hanc opinionem, ſymptomata facillime explicari poſſe, exiſtimo. Ex bene peractis quippe omnibus functionibus, ſolida hic non affici, patet; fluida autem ſic eſſe diſpoſita, ut per vias iis non deſtinatas erumpant; ex hæmorrhagiâ, & extravaſatione, liquet: nam ad hanc cauſam Petechias, & Lividas Maculas referre nos oportet. Petechiæ quidem, in febribus putridæ indolis, criticæ potius, quam ſymptomaticæ, dicuntur. Sed veroſimiliter ratione parum juſtâ. Maculæ lividæ eadem exhibent phænomena, ac illæ, quæ in extravaſatione; ab aliis cauſis ortâ, occurrunt. Abſque ullâ igitur dubitatione, harum origo eadem dicenda eſt; & ſanguinis craſin, ac quidem probabiliter globulorum rubrorum, quodammodo vitiatam eſſe, putarem. Hoc igitur reſpectu, aſſumere licet, hunc morbum haud levem habere analogiam cum ſcorbuto, in quo certe ſimilis mutatio ſanguinis locum habet: attamen caſus hic nihilominus ab eo valde diverſus eſſe poteſt. Ab experimentis, a Cl. Hewsono circa ſangui-

nem, e vivo homine miſſum, inſtitutis novum huic rei lumen affulget. Oſtendit nimirum hic globulorum figuram a circumfluentium humorum conditione dependere. Experimenta quippe ejus demonſtrant, eos, adauctis ſalinis particulis, criſpari, & contrahi, & adauctâ parte aquoſâ, diſtendi, & rumpi: ab omnibus præterea conceditur, putrefactione, etiamſi non mutetur menſtruum, texturam tamen ſanguinis deſtrui poſſe.

Has cauſas omnes quadantenus in corpore vivo locum habere poſſe, dubitari nequit; & fortaſſis, ſæpius ſimul, quam ſeorſim operantur. Cauſæ tamen, quæ ſcorbutum marinum generant, ſuſpicionem movent, an non prior præcipue cauſa in illo morbo agat, & an non poſterior diſſolutionem generat, cum propenſio in putredinem adeſt.

Ad quamnam ex his cauſis diſſolutio rubrarum particularum, in hoc caſu occurrens, referenda ſit, dubito; & hac in re parum lucis præbet, quæ cauſa dicitur remota, ingeſta ſcilicet magna fabarum quantitas.

Quæſtio tamen hæc proponi poſſet, quatenus hæc quantitas febrem, quæ ſecuta eſt, inducere potuit? Et quatenus febris huic ægræ ſtatui originem potuit præbere? Ex dictis, morbum huic potius, quam ulli aliæ cauſæ adſcribendum putarem, quare & curatio in hunc ſcopum dirigebatur.

Felix

Felix morbi eventus animadverſiones circa prognoſin ſupervacuas reddit. Quæri tamen hic non absque ratione poteſt, quantum hic morbus periculi afferat? Et duplici tantum modo huic dari reſponſum poteſt: vel enim hic in cenſum veniunt facta antea ſtabilita; vel, ubi hæc deſunt, cognita morbi natura. Verum jam obſervavi, hunc morbi caſum primum fuiſſe, quem vidi; & idcirco nihil ex propriâ experientiâ, & vix quidem ex alienâ, concludere poſſum. Caſus, a Graafio deſcriptus, æque feliciter, & haud longo etiam temporis ſpatio, terminatus eſt.

Præterea, in ſuæ Diſſertationis fine, plures quodammodo analogos caſus, ex variis fontibus, præſertim ex *Actis Academiæ Naturæ Curioſorum*, collectos, in quibus etiam morbus bonum ſortitus eſt eventum, deſcripſit. Minor idcirco forſitan terrori locus eſt, quam ex datâ jam deſcriptione exſpectari poſſet: nam fatendum eſt, nos ex illâ concludere debere, cum mali moris eſſe: & quanta eſſet ejus ſeveritas, ſi ſibi relictus foret, in medio potius relinquitur. Si mihi poſthac iterum occurrit, eum parvi pendere, nefas exiſtimarem; &, usquedum futura praxis me erroris arguerit, in animo eſt, eandem medendi methodum ſequi; quæ, etſi non plane eadem ſit, ſaltem ei affinis eſt, quam Graafius cum ſucceſſu adhibuit.

Cum ſupponerem, ſymptomata a deſtructio-

ne globulorum, ex putridâ humorum diatheſi orta, proveniſſe, hanc antiſepticis debellandam eſſe, exiſtimavi, & in hunc finem Corticem Peruvianum, atque Elixir Vitrioli, adhibui. Quum ſymptomata non urgerent, Corticem Peruvianum partitis vicibus dare malui; quam tali quantitate, ut ventriculum gravare poſſet.

Sic Cortex, Acido Vitrioſico conjunctus, duas prope ſeptimanas in uſum trahebatur; &, hac finitâ periodo, in ſuperficie corporis nihil fere amplius morbi, qui ibi varias ſubiit mutationes, ſenſim magis in ſanitatem vergens, apparuit.

Sed, cum de moleſtâ quadam in inteſtinis ſenſatione quereretur, quam ex medicamentis forte provenire credebam, hæc non amplius adhibui, ſed ad viscera abdominalia evacuanda cathartica præſcripſi. Sic ventriculi tumor evanuit, & vermes etiam, qui poſt primum catharticum aſſumptum excernebantur, eâdem de cauſâ veriſimiliter prodierunt. Quanquam hoc caſu contigiſſe judico, ſuſpicabar tamen plures in inteſtinis vermes nidulari, & credebam; æquum eſſe, contra eos aliquid tentare. Morbus, qui præceſſerat, me quadantenus impedivit, quominus valida anthelmintica adhiberem; hinc pulverem Florum Chamæmeli dedi.

Sed, hoc per aliquot dies continuato, repetitoque cathartico, cum nulli apparerent vermes, & ægra cætera ſana eſſet, eam ad nos re-

redituram, non amplius neceſſarium eſſe credidi. Verum tamen non mirum mihi videretur, ſi in poſterum adhuc aliquid incommodi a vermibus ſentiret, &, ſi hoc in caſu iterum ſe noſtræ curæ committit, ad validiora medicamenta majori cum ſecuritate confugiam.

Sequela.

Hæc ægra nullis poſtea afficiebatur ſymptomatibus, quæ a vermibus oriri videbantur, nec ullus vermis alvo prodiit. Petechiæ quoque poſtea æque minus apparuerunt, ac ſymptomata, quæ hunc morbum comitata fuerant.

CASUS VIII.

Obſervationes de Cancroſâ quâdam affectione in mammâ, in qua Electricitas fuit tentata.

M. D. Mulier ſexaginta duos annos nata, admiſſa in valetudinarium 25to Decembris 1776, induratum & ſatis magnum in ſiniſtrâ mammâ tumorem habet, qui ſuper musculum pectoralem facile moveri poteſt. Ab hoc tumore ſæpe oriuntur dolores, qui verſus glandulas axillares, aliquantum etiam tumefactas, excurrunt. Quoad cætera, illibatâ fruitur ſanitate, & ſeptem jam elapſi ſunt anni, ex quo menſes non amplius fluxerunt.

Vi-

Viginti circiter abhinc annis, ſtatim poſt partum, parvus tumor in mammâ ſiniſtrâ primo perceptus fuit. Hic brevi ſuppuravit, & materiem purulentam per ſex hebdomadas ploravit; tuncque poſt jacturam quarundam partium, & præſertim papillæ, ulcus conſolidabatur. Octo poſt annis, propter moleſtam pruritus ſenſationem, eandem mammam multum fricare coacta fuit; unde ortum fuit ulcusculum. Ex hoc, ut dicit, materia purulenta viſcida, ad usque ſextam abhinc hebdomadem evacuata eſt. Sed, ſolitâ tractandi illud methodo tunc neglectâ, nihil amplius prodiit, & ulcus cicatrice clauſum fuit. Duabus poſt hebdomadibus, tumorem, nunc conſpicuum, primo percepit, & haud multo poſt, tumor glandularum axillarium ſupervenit.

Illiniatur oleum camphoratum parti dolenti mammæ, omni nocte, horâ ſomni. Accipiat etiam bis in ſeptimanâ ictus electricos tres ad gradum tertium, ita ut fluidum electricum per mammæ tumorem curſum teneat.

Die 14to Januarii. Electricitas, & oleum, huc usque aſſidue adhibita fuere. Mammæ dolorem, & tumorem, jam aliquantum imminutos eſſe putat; ſed tumoris baſis paulo latior eſſe videtur.

Repetatur Electricitas ter in ſeptimanâ, & accipiat ſingulis vicibus ictus electricos decem ad gra-

gradum tertium. Continuetur oleum camphoratum, ut antea.

Die 25to Januarii. Uſu Electricitatis mammæ tumorem continuo imminui putat.

Continuetur Electricitas ter in ſeptimanâ, & accipiat ictus quindecim ad gradum quartum.

Die 1mo Februarii. Validam ſenſit in mammâ dolorem, ex quo ultimo electrizata fuit, & prope papillam levis excoriatio adeſt, quæ exiguam puris quantitatem emittit.

Imponatur in dies parti affectæ, linimenti cerei pauxillum, & continuetur Electricitas, ſed accipiat ſingulis vicibus ictus decem ſolummodo.

Die 8vo Januarii. Magna jam ulceratio mammam occupat, & ex eâ copioſa fit puris evacuatio. Tumor adhuc multum imminuitur; Electricitatem vero dolorem augere putat.

Intermittatur Electricitas, continuetur linimentum cereum, & capiat veſpere & mane pulveris Foliorum Cicutæ grana tria.

Animadverſiones in hunc caſum die 22do Februarii propoſitæ.

In hoc caſu pauca occurrunt ſymptomata, & morbus certe ſimplex eſt, ejus tamen natura haud penitus difficultate vacat. Morbus, nunc præcipue, ſi non prorſus, in mammâ ſiniſtrâ ſedem habet; & hic viſui ac tactui æque patet. Induratus tumor manifeſte & diſtincte percipi poteſt; &, quanquam ejus ſuperficies nunc ulce-

cerata, nunc abſque ulcere eſt, cutis tamen nunquam naturalem recuperat habitum.

Hic quidem non adſunt omnia ſymptomata, quæ cancrum comitari ſolent. Sed tamen admodum probabile eſt, morbum eo potius nomine, quam ſcirrhi, appellandum eſſe, præcipue cum tanta ſit in ulcerationem proclivitas. Hanc opinionem ulterius confirmant dolores lancinantes, quibus ægra crebro afficitur; & adhuc magis tumor ſub axillâ; nam hoc ultimum ſymptoma demonſtrat ex mammâ abſorptionem fieri materiæ, quæ in aliis glandulis morbum produceret, affectæ mammæ morbo ſimillimam.

Cum hæc ſit mea ſententia, in caſu hoc prognoſin propitiam vix darem. Omnes auctores unâ voce cancrum inter morbos periculoſiſſimos enumerant. Certe pertinet ad eos, in quibus nulla datur ſpes, ſanitatem ſponte recuperandi; ſique curabitur ægra, hoc, magnâ ex parte, ſi non prorſus, artis ſit opus, oportet. Verum tamen etiam cum maxima adhibeatur cura, nunquam, ſanitate licet recuperatâ, ſecuri eſſe poſſumus; nec ab alterâ parte, morbus unquam tam gravis eſt cenſendus, ut omnes excludantur medendi conatus: hanc ſolam ob cauſam, ægræ, de qua nunc agitur, curam ſuſcepimus.

In talibus caſibus, ſanatio duobus tantum modis tentari poteſt; vel enim partem affectam

tol-

tollendo, vel priſtinæ reſtituendo ſanitati. Quando pars affecta tota tolli poteſt, ſemper hæc medendi methodus mihi bona videretur, nam perfecte perſuaſus ſum, eam non ſolum promptiſſimam, ſed etiam certiſſimam eſſe; & cancrum multis mortem intuliſſe, eo quod hæc fuerit neglecta.

Nonnulli quidem, & inter hos etiam magni nominis viri, ſemper in cancro operationi adverſantur. Et, ſi nobis notum eſſet aliquod medicamentum, quo partes affectæ ſanitati reſtitui poſſent, eorum ſententiam libenter amplecterer.

Obſervatur, & juſte quidem, multos, qui operationem apparenti cum ſucceſſu ſubierunt, poſtea tamen graviſſimis cancri cruciatibus fractos mortem obiiſſe. At nequaquam ſanæ rationi conſentaneum eſt, cancri, vel doloris, recurſum operationi attribuere. Si cancer in uno loco intactus relinquitur, hoc non impedit, quo minus alius etiam locus hoc morbo afficiatur; imo e contrario, tunc multo veroſimilius eſt, hoc factum iri. Nullum idcirco malum jure timendum eſt de partis affectæ ablatione; ſique hic morbus de novo ægrum invadit, qui antea cancri exſtirpationem ſubiit, hoc tantum probat, operatione topicâ virus e corpore expelli non poſſe. Admodum certe veroſimile eſt, veneni cancroſi in aliis partibus originem in univerſum operationi diutius dilatæ adſcri-

adſcribendum eſſe; & ſi quidam ſunt, qui cancri recidivam paſſi ſunt, alii etiam ſunt, quibus hoc non contigit.

Itaque in quibusdam caſibus operatio perfectam curationem abſolvit; in aliis, & quidem peſſimis, quando rerum ſtatus patitur, per eam, ſaltem ſymptomata urgentia pelli, & ægri vita multos annos prorogari poteſt.

Propter omnes has cauſas igitur fateor, me operationis in hoc morbo patronum eſſe; & caſus nuper editi, ad hanc praxin ſtabiliendam, ab erudito Hill Chirurgo in oppido *Dumfries*, perpaucos, ut opinor, his rite conſideratis, de ejus utilitate amplius dubitare ſinent. De ſe ipſo quippe affirmat, ſe, ſi cancro laboraret, non horam dilaturum operationem, ſpe alius remedii fretum.

Hac de cauſâ itaque non dubitabam, ægræ huic operationem proponere, & illi ſuadere, ut Chirurgorum conſilia peteret; ſed ab operatione penitus abhorrebat. Hic autem mihi obſervandum eſt, operationem hanc tanto periculo ſtipari, ut, æquum non eſſe judicarem, ultra admonitionem pergere.

Quum ægra hæc, operationem nequaquam, ſed aliam quidem medendi methodum experiri vellet, ejus voto tandem ſatisfeci, & tentavi, quantum in parte affectâ ad ſanum ſtatum reducendâ, proficere poſſem. Hoc, ut puto, fieri debet, liberum in ea circuitum, naturalemque

que vaſorum actionem reſtaurando. Nam opinor, id, quod vulgo virus cancroſum appellatur, æque ac omnia alia ſymptomata, in tali caſu obvia, ab obſtructione quorundam vaſorum, & ab aliorum vitiatâ actione, pendere.

Haud incongruum eſſe judicavi hac occaſione experiendi, quatenus hic ſcopus Electricitate adimpleri poſſet. Electricitas, ad tales tumores reſolvendos, a Medico Eason Chirurgo militari, commendatur. Eam propoſuit, quoniam matrona quædam, in *Hibernia* habitans, talique morbo laborans, fulmine percuſſa, fuit ſanata.

Hæc hiſtoria, uti ab illo narratur, in quadam parte Commentariorum, de re medicâ agentium, nuper editâ, videri poteſt.

In hoc igitur caſu, per notabile temporis ſpatium huic remedio inſiſtere volui, vires ejus, in quantum ægra ferre poſſet, aucturus. In initio, quanquam non niſi exiguas tantum Electricitatis vires hæc ægra experiretur, aliquid tamen commodi inde redundare viſum eſt; & ipſa ægra ejus uſu dolorem, & tumorem, imminutos eſſe credidit. Itaque, ut majorem utilitatem inde caperet, plures, illi, & fortiores, ictus infligere juſſi. Nunc vero, an ita facere oportuit, dubito; nam poſthac dolores majori ſævitiâ redierunt; & tumor in ulcus converſus fuit. Non autem certum eſſe

puto, has mutationes Electricitati deberi; ſed cum tali ſuſpicioni tamen locus eſſet, eam non amplius adhibere auſus ſum. Idcirco eam, ſaltem pro tempore, intermiſi, iterum Electricitatem repetiturus, ſi res permiſerint. Nam certe credo, ejus effectus tales in hoc caſu fuiſſe, ut, validum eam fore remedium ad circulationem per partes morboſas renovandam, ſperare liceat. Eodem tempore, huic ægræ Cicutam dedi, nam ab ejus uſu, in quibusdam caſibus, me valde ſalutares effectus vidiſſe, puto. Si aliquid inde boni jure me exſpectare poſſe credam, eam per aliquod tempus adhibere ſuadebo; &, juſto cum hac periculo inſtituto, reliqua curatio circumſtantiis accommodabitur. Concludendum tamen mihi eſt, ut antea jam dixi, neque ex hac, neque ex ullâ aliâ medendi methodo, magnam ſanationis ſpem affulgere.

Sequela.

Cicuta huic ægræ per aliquod tempus absque ullo effectu ſalutari exhibita fuit. Electricitatem rurſus experiri noluit, & in Valetudinarium non rediit, nulla amplius medicamenta adhibitura, ſed leni tantum deligationi in poſterum confidens.

CASUS IX.

Obſervationes de Hæmorrhoidibus.

D. W. quadrageſimum ſeptimum ætatis annum agens, arte olitor, vir robuſtus, & colorem habens in facie floridum, in valetudinarium admiſſus 21mo Januarii 1777, de aſſiduo, ac valido, circa anum dolore queritur, qui, quando ambulat, vel alvum deponit, augetur. Poſt unamquamque ſedem, ſanguis plerumque ſequitur, fere ſemper purus, ac liquidus; externe circa anum obſervantur tubercula parva, leviter inflammata, ex quibus dolorem, & ſanguinem, provenire exiſtimat. Pulſus, calor, appetitus, alvus, naturales.

Octodecim circiter abhinc menſibus, pruritu in totâ corporis ſuperficie, & dolore capitis cum levi vertigine, afficiebatur. Hæc ſymptomata per aliquot ſeptimanas durarunt, & evanuerunt, quando hic morbus, cujus nullam aliam cauſam agnoſcit, ſe manifeſtavit. Paucis tantum medicamentis, quæ non niſi parum profuerunt, uſus eſt.

℞. *Florum Sulphuris*
Pulveris Cremoris Tartari, ſingulorum uncias duas, ſyrupi ſimplicis quantum ſufficit. M. fiat

 Ele-

Electuarium, cujus capiat drachmam unam ter de die.

Die 1mo Februarii. Medicamentum, uti præſcriptum fuit, ſumpſit, & hoc alvum leniter movit. Aliquis dolor adhuc circa anum reſtat; ſed is multum remiſit, &, ex quo medicamento uti cœpit, parum ſanguinis ejecit.

Continuetur Electuarium, ut antea.

Die 8vo Februarii. Nunc ab omnibus, quibus laboravit, ſymptomatibus, liber eſt, levem tantummodo externe dolorem ſentit. Dimittatur.

Animadverſiones in hunc caſum die 15to Februarii propoſitæ.

Hujus ægri caſus paucis tantum animadverſionibus anſam præbet. Morbus naturâ ſuâ nequaquam ſingularis eſt, neque de ea dubitari poteſt, cum nulla occurrat ſymptomatum complicatio. Hunc ægrum hæmorrhoidibus laborare, nequaquam in dubium vocari poteſt; ſed de hoc morbo adhuc inter clariſſimos Practicos non convenit; & nonnulli forſan putabunt, hunc caſum non omnes exhibere morbi characteres, qui a quibusdam Noſologiæ ſcriptoribus illi adſcribuntur. Æger quippe, cum admittebatur, non laborabat vertigine, neque dolore capitis, vel lumborum; & tamen, ſecundum Cl. Cullenum, hæc hujus morbi characteriſtica ſunt ſymptomata; imo de his ita loquitur, ut concludere debeamus, ea ſemper

adeſſe

adeſſe debere. Pauci tamen ſunt Noſologiæ ſcriptores, qui tam multa ſymptomata pathognomonica enumerant; atque hic ſaltem caſus ad amuſſim reſpondet definitioni Cl. Sauvagesii, cujus verba hæc ſunt, „ *Fluxus cruentus* „ *ex podice vel recto, mariscis ruptis obſito* ".

Præter evacuationem ſanguinis, & tubercula, dolor etiam, ut morbi Character a nonnullis memoratur: ſed notari poteſt, ne vel ſymptomata quidem, a Sauvagesio recenſita, pro eſſentialibus habenda eſſe. Sæpe quidem, ut in noſtro caſu, utraque ſimul conjunguntur; at in quibusdam caſibus nullus adeſt tumor, & in aliis nulla evacuatio. Hinc venit diſtinctio hæmorrhoidum, in cæcas, apertas, internas, & ſic porro. Verumtamen hæ varietates non ab aliquo eſſentiali diſcrimine quoad naturam morbi, ſed tantum a partibus affectis, & quibusdam circumſtantiis, pendent. In hoc caſu, morbum externum eſſe, & ſimul hæmorrhoide apertas nuncupari poſſe, nihil dubitantes aſſerimus. Inter omnes convenit, morbum in vaſis hæmorrhoidalibus ſedem habere. Num autem hæmorrhagia ex arteriis, vel ex venis, prodeat, numque tumor, effuſo ſanguini in membranâ cellulari, vel venarum diſtenſioni, adſcribendus ſit, diſceptatur. Hæc certe prævalet opinio, hæmorrhagiam, & tumorem a venis oriri; & hanc opinionem maximâ ex parte veritati conſentaneam eſſe, puto. Eam enim

 confir-

confirmant Morgagnii diſſectiones, horumque temperamenta, qui hæmorrhoidibus laborare ſolent. Ex diſſectionibus contendit Morgagnius, „ *Hæmorrhoides nihil eſſe aliud,* „ *quam varices venarum ani* ". Præterea morbus hos plerumque adoritur, qui venarum plethorâ laborant, vel ſaltem, qui illud vitæ ſtadium attigerunt, cui hæc conditio familiariſſima eſt. Non tamen negandum eſt, multa eorum opinioni, qui ſanguinis effuſionem adeſſe credunt, favere videri. Sæpe haud levis dolor percipitur, quamvis hic tamen a venarum diſtenſione non proveniat. Sanguis, præterea, in condenſatâ telâ celluloſâ, diſſectionis ope, repertus, effuſionis opinioni favet. His adhuc addi poteſt, magnam aliquando ſanguinis quantitatem evacuari, & eam manifeſto præcedere adauctum ſanguinis impetum, cum totius corporis in hæmorrhagiam propenſione. Quando hæc omnia concurrunt, magna datur ſuſpicio, morbum ab arteriis oriri. Huic etiam opinioni favent quædam diſſectiones, a Morgagnio relatæ. Dicit ſcilicet in ſingulari quodam caſu, „ *Extremum inteſtinum intus varicoſis venarum* „ *nodis inæquale. Majorem ex his attente in-* „ *ſpiciens miratus ſum, cum ipſo, qui non modico* „ *alioquin diſtendebatur ſanguinis grumo, non niſi* „ *tenuiſſima ſanguifera vaſcula communicare, ut* „ *evidens eſſet, aliquam perexilem venam in eam* „ *fuiſſe amplitudinem dilatatam* ". Mihi vero pro-

probabilius videtur, phænomenon, quod hic miratus eſt MORGAGNIUS, effuſionis effectum fuiſſe, quam ingentis, uti ille ſuſpicabatur, dilatationis.

Videntur igitur hujus morbi caſus inter ſe eſſentialiter differre poſſe, & tale diſcrimen ſæpe in curatione prodeſt. Sponte hic quæſtio oritur, ad quamnam ſpeciem noſter caſus pertineat? Nulla quidem in eo occurrit circumſtantia, ex qua certum judicium de hac re habere poſſem; verumtamen agnoſcendum eſt, me eam ab affectis venis natam putare; nam parva tantum ſanguinis evacuatur quantitas, & hic præcipue, ſi non prorſus, provenire videtur ex preſſione, qualem, inter dejiciendum, fæces excitant; neque impetus adauctus adeſt, neque magno dolore ſtipatur. Hæc omnia ſuppoſitioni adverſantur, quæ ponit hæmorrhagiam ex arteriis prodire, dum, eam ex venis prodire, ægri ætas confirmat.

Sic igitur probavi, quæ de naturâ morbi, quo hic æger laboravit, ſentio, &, cum jam ſanatus ſit, non opus eſt, ut aliquid de prognoſi dicam.

Aliquamdiu jam duraverat morbus, antea quam æger in valetudinarium admittebatur; nihil autem aderat, quod morbum valde gravem fore timere ſuadebat; & hinc locus erat, felicem eventum ſperandi, qui etiam cito ſecutus eſt. Nollem tamen, hoc ita intelligi,

 ac

ac ſi eum perfecte ſanatum crederem; nam bene notum eſt, illos, qui hoc morbo ſemel laborarunt, facile recidivas pati; nec improbabile videtur, idem etiam in hoc ægro locum habiturum. Cum autem dimiſſus fuit, a dolore, tumore, & ſanguinis evacuatione liber erat, &, modo nulla occurrat cauſa excitans, forte ſanus manebit.

In hoc caſu tractando, parum agendum eſſe credidi; & hic obſervare licet, hæmorrhoides morbum eſſe, de cujus legitimâ medendi methodo ſæpe multum ambigitur. In multis caſibus, quando nempe natura huic evacuationi adſuevit, ſalutaris habenda eſt; & plerumque, etiam cum parum ſanguinis excernitur, ex ſubitâ ejus ſuppreſſione aliquid periculi imminet. Hoc præcipue locum habet in iis, quorum, uti noſtri ægri, color floridus, eſt; evidens quippe hoc eſt plethoræ ſignum. Sanatio igitur morbi phænomenis accommodanda eſt; &, quando nihil valde urget, parum agere forte optimum eſt, præſertim cum nihil eſt, cur timeamus, morbum, ſi neglectus fuerit, in conſuetudinem abiturum.

Quidam ſane hujus morbi caſus validiſſima remedia poſtulant, vel ad violentam inflammationem mitigandam, vel aliquando ad reprimendam enormem ſanguinis evacuationem; tales etenim evacuationes, aut inanitione, aut ſuperveniente morbo, ægrum e medio tollere poſ-

poſſunt. In priori caſu, impetus verſus rectum, generali, & topicâ, ſanguinis miſſione, uti & Catharticis antiphlogiſticis, & applicationibus emollientibus, imminuendus eſt. In poſteriori, diverſis adſtringentibus externe, vel interne, adhibitis, vaſa conſtringere, quantum nobis licet, debemus.

Cæterum in hoc caſu neutram methodum tentare opus erat. Quanquam hæmorrhagiam ex venis prodiiſſe ſuſpicatus ſum, eamque ut paſſivam conſideravi, quantitas tamen evacuati ſanguinis haud tam magna fuit, ut dubia medicamenta, qualia ſunt adſtringentia, deſideraret. Etſi enim diatheſis plethoricæ aliqua adeſſet certitudo, totum tamen corpus nequaquam laborabat, neque ulla localis inflammatio impetus diminutionem exigebat. His igitur perpenſis, ſatis eſſe exiſtimavi, præcipue hæmorrhagiam excitanti cauſæ obviam ire; &, quum hæc mihi ex ſtatu excretionis alvinæ pendere videretur, lene eccoproticum refrigerans ægro præſcripſi, atque hoc non ſolum ſperabam compreſſionem auferre, ſed etiam modice totum corpus deplere. Hoc modo ſublatam iri plethoram ſpero, dum in eundem finem ſymbolam conferunt labor, quo neceſſario quotidie occupatur, diætaque, ſi non parca, ſaltem modica, quæ veriſimiliter ſumma eſt, quam ejus domi res anguſta patitur. Nec me ſpes fefellit; nam, ubi primo electuarium, quod alvum leniter movit, ſumere incepit,

alvus ſtatim ſanguinem excernere deſiit. Præterea, dum in ejusdem remedii uſu pergebat, dolor, atque tumor externus, gradatim remittebant; ita ut, quando ultimo ad nos accedebat, eum tam bene ſanatum eſſe judicarem, ut dimitti poſſet. Non quidem abs re fuiſſet, ejus nomen unam, vel alteram ſeptimanam, albo noſtro inſcriptum retinuiſſe, & tunc certius videre potuiſſemus, an ſanatio perfecta eſſet; ſed tunc neceſſarium fuiſſet per hoc tempus ei quædam medicamenta, ſaltem ad ſpeciem, exhibere: cum autem ejus morbo nihil melius eſſe judicarem, quam electuarium, quo uſus fuerat, vel in ejus uſu diutius perſiſtere nolui; nam ex diuturnâ catharticorum repetitione haud levia oriuntur incommoda. Melius igitur eſſe judicavi, eum admonere, ut rediret, ſi morbus iterum recrudesceret; ſique hoc non fecerit, eum ſanitate frui credere licebit.

Sequela.

Hic æger ad Valetudinarium poſtea non rediit, &, licet plures jam menſes elapſi ſint, a priſtini tamen morbi recurſu ſemper liber manſit.

CASUS

CASUS X.

Obſervationes de Menorrhagia, Cortice Peruviano tractata.

J. S. in valetudinarium admiſſa die 2do Decembris 1776, vidua eſt pulchra, ac tenera, quæ de magnâ debilitate, & frequenti nauſeâ, præſertim tempore matutino, queritur. Flatibus etiam afficitur, atque ingratâ in regione ventriculi ſenſatione, quæ, plerumque poſt cibum ſumptum, ingravescit.

Menſes plerumque trium ſeptimanarum intervallo recurrunt, ac octo, vel novem, dies immodicâ copiâ fluunt. Si quando non, niſi poſt menſis ſpatium, recurrunt, ut nonnunquam contingit, omnia, quæ illam affligunt, ſymptomata graviora fiunt, & vagos per totum corpus dolores percipit, qui tamen, catameniis erumpentibus, plerumque evaneſcunt.

Pulſus, minuti ſpatio, centum vibrationes perficiunt. Alvus morigera, lingua munda, reſpiratio facilis; appetitus vero multum eſt imminutus, & de magnâ ſiti queritur.

Fluxus menſium immodicus tribus circiter abhinc annis ſupervenit, ſtatim poſt infantem a mammâ disjunctum, quem per quindecim menſes lactaverat. Nullam morbi cauſam agnoſcit;

ſcit; ſed ei tribuit omnia alia ſymptomata, quorum pleraque duobus circiter abhinc annis inceperunt.

Variis medicamentis uſa eſt, & inter alia, Cortice Peruviano, a quo ſe maximum levamen accepiſſe exiſtimat.

Capiat pulveris Corticis Peruviani ſemidrachmam quartâ quaque horâ.

Die 14to Decembris. Tres jam elapſæ ſunt ſeptimanæ, ex quo ſanguinis ex vaginâ profluvium ultimo habuit; ſed cætera ſymptomata in eodem fere, ac antea, ſtatu manent.

Continuetur Cortex Peruvianus, ut antea.

Die 21mo Decembris. Aliquot dies, poſtquam ad nos acceſſit, levamen quoddam percepit; ſed menſes duobus abhinc diebus rurſus apparuerunt, & immodicum adhuc profluvium adeſt: hoc tamen præceſſerunt dolores ſolito paululum minores. Pulſus 80, appetitus aliquantum emendatus, alvus paulo adſtrictior.

Continuetur Cortex Peruvianus, ut antea, & capiat Elixirii Vitrioli acidi guttas viginti ex aquæ cyatho, omni nocte.

Die 28vo Decembris. Poſtquam Elixir Vitrioli duabus noctibus ſumpſerat, menſes ceſſaverunt; exinde tamen ſtomachi, & imi ventris intumeſcentia illi multum incommodi attulit; valde etiam de doloribus, per varias corporis partes errantibus, queritur. Pulſus 80. Alvus naturalis.

Inter-

Intermittatur Elixir Vitrioli, continuetur Cortex Peruvianus, ut antea.

Die 4to Januarii. Dolores multum remittebant, & non longe poſt 28um Decembris intumescentia magnopere fuit imminuta; atque ita perſtitit adusque diem abhinc ſecundum, ſed tunc paululum rediit. Pulſus 100. Alvus naturalis.

Continuetur Cortex Peruvianus.

Die 14to Januarii. Usque ad tertium abhinc diem ſublevata perſtitit. Tum vero profluvium menſtruum apparuit, & adhuc eâdem, ac ſolet, copiâ continuat. Ex quo incepit, dolores valde ingraveſcebant, ſed absque ullâ abdominis intumescentiâ. Iterum ſiti laborat, & appetitus paulo minor eſt, quam antea. Pulſus 96.

Continuetur Cortex Peruvianus, ſed capiat drachmam unam, tertiâ quaque horâ.

Animadverſiones in hunc caſum die 18vo Januarii propoſitæ.

Morbi, quo hæc ægra laborat, titulus in promptu eſt. Multis quidem vexatur ſymptomatibus, quæ alia morborum genera comitantur, verbi gratia, ſymptomatibus debilitatis, nauſeæ, flatulentiæ, & ſimilibus; ſed nulla adeſſe poteſt dubitatio, quin in hoc caſu ex eodem fonte originem ducant. Effectus etenim ſunt debilitatis ab immodicâ hæmorrhagiâ ortæ, nam huic ægræ menſes brevioribus, quam ſolen-

ſolenne eſt, intervallis recurrunt, ſolito diutius durant, atque nimiâ quantitate profluunt. Nullum igitur dubium eſt, quin hic caſus, immodicum menſium profluvium, vel, ut volunt Noſologi, Menorrhagia nuncupari poſſit. Præter memorata jam ſymptomata, ægra ſæpe dolores fugitivos patitur. Hi, uti ex morbi hiſtoriâ patuit, indubitatam cum morbo, quo laborat, connectionem habent, nam præcipue ante menſtruum fluxum apparent; & tunc tantummodo magnam merentur attentionem, cum is ſolitâ periodo non occurrit. Hujusmodi tamen dolores tam ſæpe Menorrhagiam comitantur, ut a quibusdam inter ſymptomata diagnoſtica enumerentur. Sed, etiamſi non ſint eſſentialia, ſaltem valde communia ſunt, & dubitandi non tantum locum non dant, ſed, quod plus eſt, noſtram e contrario opinionem confirmant. Quod ad morbi igitur nomen attinet, de eo parum ambigitur.

Sed, ut probabilis detur prognoſis, vel legitima curandi methodus ſtatuatur, ulterius progrediendum nobis eſt. Hæ ex peculiari ſolummodo hujus caſus naturâ derivandæ ſunt. Nam ſub genere Menorrhagiæ morbi valde diverſi comprehenduntur: & imprimis determinari neceſſe eſt, num hæmorrhagia activa ſit, vel paſſiva, dicenda. In poſteriori caſu eam reprimere, magnâ ex parte, opus eſt. In priori, ſuppreſſio ſæpe poſt ſe maxima mala trahit, nam tunc con-

conſideranda eſt hæmorrhagia, ut curatio, quam natura molitur.

Verum in hæmorrhagiâ uterinâ aliquid peculiare adeſt, cujus conſideratio a menſtruationis theoriâ ſejungi non poteſt. De hac autem in aliis prælectionibus egimus; ſed, quoniam unusquisque Medicus ſecundum propriam opinionem ejus a ſanitate deviationes explicat, venia mihi danda eſt, ſi, ſuppoſitionis alias ſtabilitæ veritate innixus, hanc jam praxi accommodem.

Secundum hanc opinionem, omnis adaucta ſanguinis ex utero evacuatio neceſſario ex unâ vel alterâ ſequentium trium cauſarum oritur.

Ex inuſitatâ ſcilicet determinatione ſanguinis ad uterum.

Ex adauctâ actione hujus viſceris, vel ejus vaſorum.

Vel, ultimo, ex defectu requiſitæ reſiſtentiæ uteri adverſus ſanguinis impetum.

Inquirendum igitur nobis eſt, ad quamnam harum cauſarum hoc in caſu evacuatio referenda ſit, vel quatenus ex diverſis cauſis oriri poſſit. Prima hæmorrhagiam activam potiſſimum gignit; Ultima paſſivam; dum ea ſpecies, quæ ex ſecundâ cauſâ provenit, ut intermedia conſideranda eſt. Opinio, quam hac in re amplectimur, neceſſario magnum in noſtram praxin influxum habere debet, & hinc intereſt dignoſcere, quamnam ad ſpeciem pertineat.

Ad hujus rei cognitionem ducimur, conſiderando

rando vel cauſas, quæ morbum produxerunt, vel ſymptomata, quæ eum comitantur. Ex priori fonte, in hoc caſu, nihil colligi poteſt, nam non manifeſto ab aliquâ cauſâ particulari ortus eſt ſanguinis fluxus. Tantum certiores facti ſumus, ægram eo correptam eſſe, poſtquam infantem lactaſſet, & plerumque lactationis tempore menſes deſunt, ipſiusque uteri vaſa tunc revera obturari videntur. Exiſtimandum igitur non eſt, hinc adauctam evacuationem provenire poſſe. Si vero mihi conjecturæ locus datur, ulterius retrogradi, ejusque cauſam a graviditate, vel puerperio, repetere vellem. Bene quippe notum eſt, his temporibus uterum, & ejus vaſa, magnopere affici. Sed hæc opinio, tantummodo ut conjectura, conſiderari debet, & neceſſe eſt, ut quæſtionem jam prolatam, poſteriore methodo, conſiderando ſcilicet ſymptomata concomitantia, ſolvamus. Singula igitur ordine percurremus.

Inuſitata ad uterum determinatio, quæ prima generalis cauſa eſt Menorrhagiæ, nonnunquam a particularibus topicis affectionibus oritur, ab iis v. g., quæ fluxum ſanguinis in vaſa vicina retardant; quare tunc horum vaſorum compreſſio utile eſt remedium, ad menſes ſuppreſſos revocandos. Sæpius autem nimiæ plenitudinis effectus eſt; quare lunare tributum acceleratur, & augetur victu opiparo, & copioſo. Alterutrius tamen cauſæ nulla hic adeſt evidentia. In extremitatibus

tibus quippe inferioribus circulatio naturalis eſt; & omnia deſunt ſigna plethoræ generalis. Nulla in ſtuporem, vel lethargum, proclivitas, nullus generalis ſenſus ponderis, vel plenitudinis, nulla corporis turgescentia, vel vultus rubedo, nullus ingens in hæmorrhagiam niſus, occurrunt. E contrario, ex pallore, habitu tenero, & debilitate, inanitionem potius adeſſe, credere licet Itaque, in univerſum, ſuppoſitio inuſitatæ ad uterum determinationis fundamento parum ſtabili nititur.

Secunda, ut diximus, Menorrhagiæ cauſa adaucta erat uteri actio. Peculiarem hujus viſceris actionem ſtatuere, ad catameniorum theoriam enodandam, neceſſarium eſſe, puto. Hæc procul dubio in certâ quadam graviditatis periodo obtinet, & tunc partus cauſa eſt; nec non aliquatenus lochiorum fluxus. Verum, ſi hoc naturali modo contingit, non dubitandum eſt, quin modo etiam naturæ contrario fieri poſſit, profluviumque, & duratione, & quantitate præternaturale, ex hac cauſâ oriri. Talis inordinata actio ad affectiones nervoſas referenda eſt, & ab eâdem cum his cauſarum varietate poteſt produci; ac, quandò adeſt, potiſſimum dolore, & irregulari fluxus periodo, indicatur. Bene notum eſt, ſpasmos, & contractiones fugaces, in utero incipientes, ſæpe ad vicinas partes propagari. Hoc doloribus parturientium ſemper ſolenne eſt, niſi quatenus diſtenſionis

effectus ſunt. Tales delicatulæ diu ante puerperii tempus ſæpe experiuntur. Tales frequenter, ut fluxus menſtrui comites, deſcribuntur. Et tales etiam, ut mihi ex datâ ante deſcriptione videtur, in hoc caſu adſunt. Itaque hanc cauſam hic locum habuiſſe, nihi admodum probabile eſt. Si vero ſimul in mentem revocamus, quam brevia fuerunt menſium intervalla, hæc opinio magnopere confirmatur; præſertim, cum, intervallis ſolito diutius protractis, dolores admodum graves fuerint. Itaque concludendum mihi eſt, inordinatam hic uteri actionem locum habere, & veriſimiliter talem, quæ omnibus ſymptomatibus explicandis par eſt.

Verum hujus cauſæ exiſtentia neutiquam alias excludit; & propterea inquirendum eſt, quatenus cauſa ultima, defectus nimirum debitæ reſiſtentiæ uteri adverſus ſanguinis impetum, hic aliquid confert. Omnium Menorrhagiæ cauſarum hæc fortaſſe frequentiſſima eſt. Variis hæc modis excitatur, qui vel totum corpus, vel ſpeciatim uterum, relaxant. Variorum etiam uteri morborum, veluti cancri, ulcerationis, & ſimilium, ſoboles eſt. Itaque, cum tanta ſit cauſarum multitudo, non mirum eſt, ſi tam crebro occurrat; neque dubito, quin in hoc etiam caſu quodam modo locum habeat: imo, rem ita ſeſe habere, ex duratione, & quantitate profluvii, aſſumere licet; nam, modo magna

ſit

ſit reſiſtentia, inordinatus motus nunquam talis profluvii cauſa erit. Verumtamen ex alterâ parte, nullus eſt exiſtimandi locus, laxitatem unicam eſſe cauſam; nam, ſi hoc ita eſſet, ſymptomatum, quæ jam adſunt, multa deeſſent, & ægra non tam graves pateretur dolores. Credere etiam licet, laxitatem haud ita magnam eſſe, nam, quantum novimus, fluore albo non laborat. Itaque, quanquam ſanguinis evacuatio admodum diu adfuit; tamen, cauſis validiſſimis domitis, uteri reſiſtentia ad ulteriorem fluidorum evacuationem reprimendam ſufficere videretur; & diuturnam leucorrhæam laxitatis indicium eſſe puto, ingenti etiam ſanguinis profluvio majus. Igitur, ut omnia paucis verbis complectar, mea circa hunc morbum ſententia eſt, cum forſan ex imminutâ reſiſtentiâ uteri adverſus ſanguinis impetum quodammodo pendere; ſed tamen præcipue motus inordinati effectum eſſe: quare eum, magnâ ex parte, tanquam primario à vi nerveâ ortum, crederem.

His ſuppoſitis, fatendum mihi eſt, me multum circa prognoſin in dubio hærere. Poſt omnes conatus, qui ad nervoſas affectiones illuſtrandas facti ſunt, Practicis adhuc circa eas multum laboris reſtat, & præſertim earum finis nos penitus fugit. Nullum tenent curſum ſtabilem, vel determinatum. In univerſum fortaſſe earum duratio, & ſævitia, inter ſe relationem habent. Attamen cum leves videntur,

nonnunquam valde pertinaces evadunt, omniaque ſuperant medendi conamina; & quando graviſſimæ apparent, ſæpe ſubito evaneſcunt. Non igitur mihi mirum videretur, ſi hæc ægra cito eſſet ſanata, vel, ex alterâ parte, ſi omnibus incaſſum tentatis, ejus morbus obſtinatus perſiſteret: & hanc ultimam opinionem maxime probabilem eſſe judico. Multum enim jam temporis, immo plures annos, duravit; & ſemper tantum abfuit, ut ulla fieret ſymptomatum allevatio, ut e contrario potius adaugerentur: & nunc debilitas, nauſea, ſimiliaque ſymptomata, ut morbi primarii ſequelæ, ſuperveniunt. Præterea obſervare licet, eam multis jam remediis uſam eſſe, iiſque, uti credere par eſt, non ex mitiſſimis. Cum hæc fruſtra ſint adhibita, minor ex aliorum uſu ſpes affulget; nec, ex alterâ parte, magna nobis ſpes eſt, ſanationem naturæ beneficio perfici poſſe. Hæc quidem aliquando exſpectari poteſt, quum corpus aliquam magnam mutationem ſubit, veluti circa periodum, in qua catamenia prorſus ceſſare ſolent; ſed hæc periodus veroſimiliter longe adhuc diſtat, quum ægra vigeſimum ætatis annum vix exceſſerit. Verum alia res eſt, qua forte curatio poſſet effici. Quemadmodum enim hunc morbum ex graviditate, magnâ ex parte, natum, diximus, ſic forſan aliâ graviditate ſanari poſſet. Si, in præſenti rerum ſtatu,

ægra

ægra prægnans fieret, veroſimiliter pro tempore ſanaretur. Sed, præterquam quod maritus ejus jam mortuus eſt, aliud etiam connubium levem conceptionis ſpem præberet; nam morbus ejus ex unâ quidem parte non plane obeſt graviditati, ex alterâ vero ei multum adverſatur: &, cum inordinata uteri actio dolores iis, qui in partu adſunt, ſimiles excitat, abortui ſemper obnoxia foret. Graviditas etiam, licet ad conſuetum usque terminum protracta, etiamſi aliquam curationis ſpem præbens, contrarios tamen effectus edere poſſet, morbum potius exacerbando, quam curando. Paucis igitur verbis, hæc mea eſt opinio, hunc morbum obſtinatum fore, niſi ægram brevi e medio tollat.

Altera igitur hic quæſtio ſponte o.itur, quatenus, ſcilicet, morbus periculoſus ſit habendus? Et ſane agnoscendum mihi eſt, me nequaquam ſine metu eſſe. Hic morbus enim haud raro fatalem eventum habet, propter ſubitum nimii fluxus effectum, &, quo diutius durat, eo magis hoc timendum eſt, cum reſiſtentia uteri neceſſario diminuatur. Haud tantum hucusque ſanguinis amiſit, ut inde præſens periculum immineat; ſed vis, quam inveterata evacuatio in corpus exſerit, plus periculi minatur. Hoc enim modo ægra jam valde debilitata eſt, &, ſi evacuatio adhuc diu durat, huic tandem forte ſuccumbet. Cæterum, modo nulla manifeſta ſymptomatum alteratio oc-

currat, hoc non cito eventurum eſſe ſpero, & nos diverſa remedia experiendi occaſionem habituros.

Obſervandum tamen eſt, me, in genere de medendi methodo, & in ſpecie, de remediis, quæ præſcribenda ſunt, multum in dubio hærere. Ex obſervationibus antea prolatis, morbum ad nervoſos pertinere, crederem. Hinc curatio neque evacuantibus poteſt obtineri, quæ ſæpe hæmorrhagiam activam, ex plethoræ nimirum ſtimulo pendentem, curant, nec adſtringentibus, quæ hæmorrhagiis paſſivis, quæ ſcilicet a rupturâ, vel relaxatione oriuntur, remedio ſunt. Morbus hic in genere cum omni ſyſtematis nervoſi ſtatu connectionem non habet; & idcirco curari non poteſt communi methodo, quæ vulgo in nimiæ mobilitatis, vel torporis caſibus convenit; ſed eum localem eſſe, & ſimul ſingularem, credo; ideoque, usquedum leges, proprietatesque generis nervoſi ulterius innotescant, neceſſe eſt, ut, magnâ ex parte, de rationali medendi methodo, ambigatur.

Hic noſtræ inveſtigationes nos haud ulterius ducunt, quam ad ea remedia tentanda, quæ utiliſſima, in inordinatis motibus cohibendis, inventa ſunt. Sed, quoad magnam eorum partem ingens occurrit difficultas; vires etenim eximie ſtimulantes, vel ſedantes, poſſident, & ex utroque hoc fonte mala timenda ſunt. In hoc

hoc igitur caſu vix, ſolius ratiocinii ope, affirmare auderem, quid ægræ vel prodeſſe, vel nocere, debeat; & mea igitur praxis experimentis ſtabilienda eſt. Hunc in finem Corticem Peruvianum adhibui. Inter alia medicamenta, quibus, antequam ad nos veniebat ægra, utebatur, hunc etiam ſumpſit, & ex ejus uſu bonos percepit effectus; quare exiſtimabam, majorem ſanationis ſpem adfore, ſi ejus majorem quantitatem præſcriberem, præcipue cum hoc medicamentum ad ea, ut opinor, pertineat, quæ prudenter adhibita in majore, quam mos eſt, quantitate adhiberi poſſunt. Ei etiam validius adſtringens adjeci; ſed neutrum votis reſpondit. Ab uſu enim acidi Vitriolici abdominis intumeſcentiam, dolorumque incrementum, percepit: &, poſtquam majorem Corticis quantitatem asſumpſit, de gravioribus adhuc incommodis queritur, uti video ex relatione, diario noſtro inſerta. Non dubito, quin utrumque remedium aliquid anxietatis creaverit, at vix crederem, tantos eſſe eorum effectus, ac ipſa prædicat.

Præter cæteras enim difficultates aliam adhuc adeſſe, timeo. Ægram morbo laborare, nullus quidem dubito; ſed certiſſime credo, eam naturâ pronam ad quamlibet minoris momenti mutationem aggravandam, atque etiam eſſe timidi, & ſuſpicioſi animi; unde medicamentis forte effectus, qui ab iis non pendent, attribuet; & ægre ei ad quodvis remedium rite ex-

periendum perſuadebimus. Si hoc autem facile fieri poteſt, Corticem diutius experiar, &, ſi ventriculus largam doſin ſimul non fert, talem quantitatem partitis vicibus ingerere, conabor. Formulam præſcriptam fortaſſe mutabo, vel ei alia medicamenta adjiciam, præſcribam v. g. aquoſam ejus infuſionem cum quodam aromate, veluti Cortice Aurantiorum, conjunctam. Si Cortex Peruvianus bonum non producit effectum, quinam ſint medicamentorum anodynorum effectus profluvii tempore experiri conabor. Hæc ſane in plerisque caſibus fluxum augere ſolent; ſaltem fœminis, quæ frequenti opiatorum uſui aſſuetæ ſunt, æque ac iis, quæ ſæpius liquoribus ſpirituoſis abutuntur, menſes ſemper nimii ſunt. Sed ea in hoc caſu, contrarium productura effectum, opinor; imo licet evacuationem largiorem redderent, uſui tamen eſſe poſſent, ad dolores ſedandos. Ex periculo enim jam facto colligere mihi licet, a ſedativis plus, quam ab adſtringentibus, tempore evacuationis, exſpectandum eſſe; verum tempore intermedio curam radicalem præcipue a tonicis petendam puto; &, Cortice incaſſum adhibito, in animo eſt, Zinci calcem præſcribere, cui forſitan, aliquod ex his, quæ ſub titulo medicamentorum nervinorum veniunt, qualis eſt pulvis Radicis Valerianæ, adjungam. Si hoc remedium etiam irritum fuerit, fateor me ægram admoniturum, ut balnei frigidi uſum ten-

tentet: &, quamquam ejus adminiſtratio cautelam requirit, ab eo tamen commodi aliquid exſpectarem. Cæterum ea, quæ de hujus ægræ peculiari indole dixi, faciunt, ut credamus, eam nobis vix copiam daturam ea, quæ proponimus, experiendi.

Sequela.

Cortice Peruviano per aliquod tempus continuato, hujus ægræ morbus aliquantum de ſua ſeveritate remittebat: ſed, quum alia medicamenta tentare, vel Corticem ſatis magnâ quantitate per aliquod tempus aſſumere nollet, non perfecte ſanata, dimiſſa fuit.

CASUS XI.

Obſervationes de Amenorrhœâ, Electricitate ſanatâ.

G. C. Mulier quadraginta duorum fere annorum, in valetudinarium admiſſa 7mo Januarii 1777, de tuſſi moleſtâ, & parcâ expectoratione queritur. Flatulentiâ etiam, torpore, & ſenſatione ponderis circa præcordia prementis, laborat, & ſæpe capitis dolorem patitur. Pulſus 80; alvus naturalis; appetitus aliquantum imminutus, menſes ſuppreſſi.

Quatuor elapſæ ſunt ſeptimanæ, ex quo tuſſis incepit: eam, uti & catameniorum ſuppreſſionem, quæ jam viginti menſes adeſt, frigori adſcribit. Adverſus poſteriorem morbum multa medicamenta, iteratæ præſertim venæſectiones, & balneum calidum, adhibita ſunt. Ex balneo calido nullum commodum percepit, at ſanguinis detractione ſymptomata magnopere ſedata fuere.

Accipiat ictus electricos quatuor, ad gradum ſextum, ita ut fluidum electricum per inferiorem abdominis partem curſum teneat. Et repetatur electricitas, eodem modo, ter in ſeptimanâ.

Die 18vo Januarii. Nullum ab Electricitate incommodum percepit, & ventriculum nunc minus oppreſſum exiſtimat. Sed nullum apparet indicium catameniorum recurſus.

Continuetur Electricitas, ſed accipiat, ſingulis vicibus, ictus duodecim, ad gradum ſextum. Capiat etiam omni nocte Elixirii ex Aloe & Rheo ſemunciam.

Die 25to Januarii. Non electrizata fuit, poſtquam ultimo ad nos acceſſit; ſed Elixir, ut præſcriptum fuit, quatuor noctibus ſumpſit; tunc menſes ſupervenerunt, & ad ſatis magnam quantitatem manarunt. Eam nunc parum affliciunt oppreſſio, & anxietas circa ventriculum; ſed noctu multum vexatur tuſſi.

Inter-

Intermittantur medicamenta; ſed capiat mixturæ oleoſæ ſemunciam, quartâ quâque horâ.

Die 1mo Februarii. Tuſſis valde remiſit, ex quo mixturam oleoſam ſumere cœpit. Nullum catameniorum indicium. Sed de dolore, præcipue in imo ventre, queritur.

Continuetur mixtura oleoſa, ſed capiat tantummodo ſemunciam veſpere, & mane.

Die 8vo Februarii. Tuſſis, maximâ ex parte, ſedata eſt, &, quod cætera ſpectat, multo melius ſe habet. Appetitus emendatus: calor naturalis.

Continuetur mixtura, ut antea.

Die 15to Februarii. Ab omnibus fere ſymptomatibus libera eſt.

Intermittatur mixtura oleoſa.

Animadverſiones in hunc caſum die 1mo Martii propoſitæ.

Cum hæc ægra admittebatur, ejus caſus haud omnino mihi novus erat; nam ſex circiter abhinc menſibus ejus cura mihi, in conclavi clinico, in Regio Noſocomio fuerat demandata. Morbi, quibus tunc laborabat, ab iis quodammodo differebant, qui paulo ante in hac hiſtoriâ enumerati fuerunt. Tunc temporis, validis Hydropis ſymptomatibus laborabat, aderatque etiam Amenorrhœa, morbus, adverſus quem noſtrum nunc auxilium petit: nam haud dubito, quin hæc ſit præcipua ejus morbi pars. Verum, ut jam obſervavi, priſtinum etiam morbum

comi-

comitabatur, & tunc, utroſque morbos aliquatenus inter ſe connexos eſſe, credidi. Menſium obſtructio mihi tunc videbatur Hydropi cauſam ſuppeditaſſe, eumque hinc pertinaciorem fore. Quatenus autem revera connectebantur, nunc forſitan dubitari poteſt. Sed, haud multo poſt, Hydrops penitus ſanatus fuit, &, ut opinor, magnâ ex parte, uſu *Elaterii*, quod nuper in multis Hydropis caſibus, felici cum ſucceſſu, adhibui.

Poſt debellatum Hydropem, ad menſes revocandos, tantummodo conatus ſum corporis vires reſtaurare: &, cum remedia, in hunc finem in noſocomio tentata, irrita eſſent, & illa ſe alio reſpectu male inciperet habere, eam diutius retinere nolui. Illam igitur dimiſi, ſperans, catamenia reditura, quando vires increſcerent, quod rure degenti aſſiduâ exercitatione, liberique aëris uſu, citius quam in noſocomio, contingere poſſe mihi videbatur. Nunc vero apparet, hæc omnia votis non reſpondiſſe. Præterea, per aliquot menſes multa, & varia, medicamenta aſſumpſit, quæ, quamvis morbo ejus maxime accommodata viderentur, propoſito tamen ſcopo non reſponderunt. In tali rerum ſtatu rurſus noſtrum auxilium petiit.

Cæterum notandum eſt, eam nunc æque ac olim, non tantum Amenorrhœâ laborare. Aliquot enim ſeptimanas, tuſſi moleſtâ, & rarâ ac difficili expectoratione, laborat; quam ex ſri-

frigore natam credit, non absque veritatis ſpecie; & quæ nullum nexum cum Amenorrhœa habere videtur.

Catamenia jam viginti circiter menſes abſunt, & huic cauſæ appetitum imminutum, torporem, preſſionem circa præcordia, & dolorem capitis, de quibus querebatur, adſcripſi.

Fateor, meam de hujus morbi eventu opinionem in initio non eandem fuiſſe, ac in præſentiâ. Catarrhus, niſi inveterasceret, nihil periculi minitabatur, eumque vel remediis cito ceſſurum, vel ultro abiturum, ſperavi. Verum Amenorrhœam pertinaciorem fore credidi; &, cum multa, & potentiſſima quidem, remedia incaſſum tentata eſſent, me vix exſpectaſſe curationem, agnosco. Exiſtimabam igitur, hunc morbum maximam in praxi attentionem mereri; atque concludebam, menſes nunc non revocandos eſſe, reſtituendo ſanitatem in genere; nam ægra nullum hydropicæ diatheſis ſymptoma, nullum inanitionis indicium, habuit. E contrario circa menſium periodum plenitudinis ſymptomata exhibuit, quæ ſæpius ſanguinis miſſione levabantur. Putabam igitur, debitam in utero ſanguinis accumulationem non deeſſe; ſed ſuſpicabar, morbum ab obſtructione viarum, quas ſanguis pertranſire debebat, forſan provenire. Verum, ſi hujus generis eſſet, ex levi, vel fugaci cauſâ, v. g. ex ſpasmo, pendere non poſſet; &, ſi a ſtabili topicâ cauſâ

ortum

ortum duxiſſet, evacuationis renovationem exſpectare non poteram. Itaque concludebam, præcipuam ſanationis ſpem in reſtauratione ejus actionis uteri conſiſtere, quam fluxui menſtruo neceſſariam eſſe opinor: &, in hunc finem, in hoc caſu Electricitatem experiri ſtatui. Hoc enim remedium eſt, nuper, in multis caſibus pertinaciſſimis, cum ſucceſſu adhibitum: & ejus vires ad actionem, quam in ſolida viva exſerit, penitus referendam exiſtimo. Bene namque notum eſt, quantum faciat ad reſtaurandam ſenſibilitatem, vel motum, in aliis partibus. Fluxus itaque menſtruus duplici modo revocari poſſet, vel immediatâ in fibras motrices actione, inducendo contractionem, quam neceſſariam eſſe pono; vel excitando eam motus poteſtatem, quæ periodis regularibus occurrit. Priori modo, cito ac ſubito ſanabitur: poſteriori, hoc non fiet, niſi Electricitate per aliquod tempus adhibitâ, & forſitan non, antequam intermiſſa erit. Itaque, hiſce ductus rationibus, eam hoc in caſu, juſto experimento ſubjicere decrevi; &, dum ejus uſui inſiſto, numerum vimque ictuum gradatim adaugebo. Primo autem Electricitatis uſui menſium fluxus non ſupervenit; quamvis, ſpe uteri actionis ſubito excitandæ adductus, ictus per hujus visceris regionem dirigi juſſiſſem.

Verum hac in re haud multum hallucinabar, nam licet poſt tam diutinam obſtructionem talis eſſe potuiſſet eventus, vix tamen exſpectandus

dus erat. Itaque ſtatui, adhuc in ejus uſu perſiſtere, ſed, machinâ noſtrâ forte læſâ, eam intermittere coactus ſum, cum ægra non niſi per breve temporis ſpatium eſſet electrizata. Electricitatem igitur cum ultra experiri ipſe non poſſem, eam tamen continuari juſſi, ſperans fore, ut machina cito reficeretur: &, ne interea iners viderer, ei præſcripſi ſemiunciam Elixirii ſacri, ſingulis noctibus ſumendam.

Intermiſſâ Electricitate, hoc medicamento quatuor noctibus uſa eſt, & hoc finito ſpatio menſes apparuerunt, quod ipſa adſcripſit medicamento, quo tunc utebatur. Verumtamen, cum conſidero, medicamento, quod capiebat, nullas eximias agendi vires tribuendas eſſe, & ne vel alvi fluxum ab eo unquam inductum fuiſſe, non video, cur affectio tam obſtinata eo remota credatur, atque quod ad me, adſcribenda mihi potius videretur fluxus reſtauratio Electricitati, antea adhibitæ: nam, quando nullum aliud remedium in uſum trahebatur, curationes Electricitate factæ, non, niſi eâ paucis diebus neglectâ, percipiebantur. Puto igitur, hoc in caſu, Electricitatem reddidiſſe utero facultatem agendi; & opinor, fluxum proveniſſe tali periodo, qua ex legibus generis nervoſi naturaliter adveniſſet.

Haud tamen aſſerere auſim, Elixir nullum habuiſſe effectum; nam actione in inteſtina, præcipue in rectum, aliquid forſan conferre

potuit,

potuit, & ad fluxum reſuſcitandum, & hunc ſuſtentandum. Verum nequaquam credo, illud tantas vires poſſidere, ut obſtructio tam diuturna, quæ antea potentiſſimorum etiam medicamentorum viribus reſtiterat, ab eo curari poſſet, præſertim tam parvâ, quâ dabatur, quantitate.

Sed, licet hoc concederetur, hoc tamen nequaquam certum indicium præberet, menſium apparitionem effectum fuiſſe Electricitatis; nam, nequaquam impoſſibile eſt, eam pendere ab aliis circumſtantiis naturæ prorſus diverſæ, quarum vel ægra ipſa ignara fuit, vel ſaltem nos certiores facere noluit. Quapropter hoc certiſſimum eſſe dicere nequeo. Omnibus tamen ſimul ſumptis, credendum mihi eſt, reſtaurationem fluxus menſtrui effectum eſſe Electricitatis. Hoc poſito, alia occurrit momentoſa quæſtio, quatenus ſcilicet ſanatio radicalis dici poſſit? Et an neceſſarium ſit, aliquid ulterius agere, ad ſtabiliendum regularem menſium recurſum? vel an exiſtimandum ſit, eos hac unicâ tantum vice rediiſſe? Fateor, me hic admodum hærere; attamen mihi potius meliora exſpectanda videntur. Itaque ſtatuo, nihil ultra agere, ad menſes promovendos, ſed conſuetam evacuationis periodum opperiri: atque, ſi tunc apparuerint, nihil ultra neceſſarium eſſe ducam; ſi vero hoc non fiat, ad Electricitatem iterum recurram, & perſequar methodum antea propoſitam. Si Electricitas

menſes

menſes rurſus apparere faciat, ſufficiet curare, ut repetatur uno vel altero die ante periodum, qua menſes exſpectantur: & ſpero, tali modo eorum recurſum regularem futurum. Si Electricitas omnino irrita erit, ſperare tamen licet, aliquoties redituram evacuationem hanc; quamvis fatendum mihi ſit, mihi non niſi levem ſpem eſſe, fore ut unquam regularis eveniat. Alia tamen ſunt emmenagoga, quæ adhiberi poſſunt: atque, in hunc finem, probabiliter huic ægræ Rubiam Tinctorum dabimus; &, ſi hæc incaſſum adhibita fuerit, tincturam Hellebori Nigri forſitan experiemur, doſin augendo tantum, quantum ſecuritas & prudentia permiſerint.

Sequela.

Huic ægræ redierunt menſes ſub initium Martii, & tres dies modicâ quantitate fluxerunt. Paulo poſt, utpote ab omnibus ſymptomatibus libera, e Valetudinario dimiſſa fuit. Sed non multis poſt menſibus iterum auxilium petitura rediit. Eo tempore inferiorum extremitatum paralyſi utcunque afficiebatur, ſenſus, & motus poteſtate admodum imminutâ. Aderat etiam menſium obſtructio, priſtinis ſymptomatibus ſtipata. Electricitas rurſus, ut antea, adhibita fuit; atque, plures ſeptimanas indies continuabatur. Intra hoc tempus catamenia iterum redierunt; ſed non conſuetâ quantitate: pedum

vero paralyſis prorſus curata fuit, quare in Valetudinarium haud ultra venit.

CASUS XII.

Obſervationes de Tineâ capitis, externâ Mercurii Corroſivi ſublimati, & Æruginis, applicatione curatâ.

B. M. Puella, ſextum ætatis annum agens, in valetudinarium admiſſa die 24to Januarii 1777, totum habet caput ſcabie, ſiccâ, albâ, coopertum: quæ plerumque nec dolorem, nec pruritum, gignit. Laborat etiam hebeti auditu. Abdomen ſolito magis tumidum obſervatur; & ſæpe, matutino tempore, vomendi conatibus moleſtatur. Alvus regularis: appetitus naturalis.

Cruſtæ ſcabioſæ in cute capillatâ capitis primo apparuerunt ſub initium hyemis ultimo elapſæ, & usque ad ſequentem æſtatem manſerunt, tuncque penitus abierunt. Eo tempore auditus hebetudo incepit. Intumescentia abdominis jam duos, vel tres, annos obſervata eſt, & æſtate ultimâ, vermem teretem ex Lumbricorum genere ejecit. Nullam agnoſcit cauſam ho-

horum ſymptomatum, nullaque ſumpſit medicamenta ad ea abigenda.

℞. *Mercurii Corroſivi Sublimati granum unum, ſolve in aquæ fontanæ unciis duabus, dein adde micæ panis quantitatem ſufficientem, ut fiat cataplasma, partibus capitis affectis imponendum. Repetatur tale cataplasma ter in ſeptimanâ.*

Die 1mo Februarii. Ex pluribus capitis partibus cruſtæ ſiccæ deciderunt, ex quo adhibitum fuit cataplasma: & nunc nunquam de pruritu queritur.

Continuetur cataplasma, ut antea; & capiat cras mane Salis Glauberi ſemunciam, ſolutam in aquæ ferventis unciis ſex. Repetatur eadem doſis mane die Jovis.

Die 8vo Februarii. Sal Glauberi bene votis reſpondit, &, quæ in capite fuerunt, cruſtæ maximâ ex parte penitus diſparuerunt. Sed cataplasma capillis tam firmiter adhæret, ut non, niſi magno cum dolore, removeri poſſit.

Repetatur Sal Glauberi, ut antea; intermittatur cataplasma, &

℞. *Pulveris Æruginis ſemidrachmam, Axungiæ porcinæ uncias duas; tere diligenter ſimul, & fiat unguentum, cujus illinatur ſemidrachma partibus maxime affectis, omni veſpere, & mane.*

Die 22do Februarii. Caput aſſidue poſt

diem 8vum hujus menſis illitum fuit unguento; & ſcabies jam prorſus evanuit: ſed adhuc auditus hebetudine laborat.

Intermittatur unguentum ex ærugine, applicetur veſicatorium nuchæ, & poſtea fiat fonticulus ope unguenti epiſpaſtici.

Animadverſiones in hunc caſum, die 1mo Martii propoſitæ.

Hujus ægræ morbus haud omnino difficultate vacat: attamen omnia fere ejus ſymptomata obvia ſunt; ea autem omnia ad unum genus referre nullo modo poſſum. Siccam ſcabioſam eruptionem in capite, ut præcipuam morbi partem, conſidero; atque ei, ſine ullâ dubitatione, nomen do. Sedes, phænomena, atque efflorefcentiæ indoles, me hunc absque ulla hæſitatione Tineam Capitis nominare faciunt. Hæc non eſt infrequens, & ſæpe admodum pertinax; ita ut, poſtquam certum tempus duravit, nonnulli eam inter morbos incurabiles referendam putent. Sed, quamvis hæc præcipuam morbi hujus ægræ partem conſtituat, non tamen ſola eſt, & forſitan etiam talis eſt, ut, in hoc caſu, minus pertinax ſit habenda.

Hæc ægra laborat etiam hebetudine admodum magnâ auditus. Hoc ſymptoma ab omnibus Noſologis, tanquam character cujusdam generis morbi, ſpectatur, ſub titulis Dyſecœæ, Cophoſis, Surditatis, & ſimilibus: & unumquod-

quodque horum generum varias ſpecies comprehendit, quæ tamen plerumque conſiderandæ ſunt, ut ejusdem morbi, a diverſis cauſis pendentis, exempla. Quid in hoc caſu ei anſam præbeat, valde dubium eſt. Verum quodam modo præſumi poteſt, eum forſan effectum eſſe efflorefcentiæ evaneſcentis. Repulſus cutaneorum morborum enumeratur inter cauſas plurimorum affectuum, & ex nullo plura dicuntur mala oriri, quam ex repulſu Tineæ. Verum quidem eſt, me ſurditatem inter ea a nullo auctore practico memoratam vidiſſe; ſed cum ab eâ cæcitas aliquando oriri dicatur; non abſurdum eſt, ſtatuere, Tineam, ſi ſenſuum unum organon nonnunquam affecerit, & aliud etiam afficere poſſe.

Fateor igitur, me hanc ſurditatem referre ad priorem morbi repulſum; qui, quatenus novi, non fuit effectus ſpecialis cujusdam remedii, ſed a naturâ factæ curationis; quæ tamen, ut mihi videtur, eosdem producere affectus potuit, ac ſi arte morbus fuiſſet curatus. Uterque veroſimiliter ſuos effectus edit, ortum præbendo alii circulationis modo.

Quæri adhuc poteſt, an ægra præter hos duos morbos tertio etiam non laboret? Abdomen ejus nimirum inuſitato modo tumefactum videtur, & nauſeâ, præcipue tempore matutino, laborat. Neuter vero horum affectuum, & nequidem uterque ſimul ſumptus, peculiaris morbi

morbi ſpeciem præbet: neque credendi locus eſt, eos alicui ex ante memoratis morbis connecti. Quatenus principium periculoſioris morbi conſtituant, dictu etiam eſt difficile; ſed, quantum huc usque judicare poſſum, illos ita conſiderare nequeo; atque fateor, me eos potius conſiderare, ut leviſſimam partem eorum, quæ ægra patitur: &, quoad eorum eventum, nihil mihi timoris reſtat.

Quod duos alios morbos ſpectat, de iis aliquis mihi dubitandi locus eſt. Quum Tinea antea fuerit ſanata, propitiæ prognoſi locus eſt. Verum morbus eſt, qui haud infrequenter ad tempus ſanari poteſt; atque non ſecus, ac, cum olim diſparuerit, iterum absque ullâ obviâ cauſâ redire poterit, licet nunc ſanetur. Sed adhuc major eſt timendi locus, ſurditatem obſtinatam fore; nam ex quo primo incepit, nunquam manifeſto remiſit; & præterea in aure nullus morbus clare detegi poteſt.

In hoc caſu tractando ad varia objecta reſpiciendum eſt. Jam ſupra notavi, Tineam, capitis morbum, mihi videri, præcipuam hic mereri attentionem; eaque ſimul eſt ea morbi pars, quam optime ſanari poſſe prævidebam; quamvis eam ſemper obſtinatum morbum eſſe, putem. Sed, licet ſic loquar, tamen mihi perſuaſum habeo, quædam eſſe, modo ægri periculum facere velint, quibus maximâ ex parte curari poſſet. Sic ſanantur plurimi ab ano,

quæ

quæ prope *Edinburgum* degit, & a multis aliis in diverſis hujus regni partibus.

Principium, quo ejus remedium, minime inter Practicos ejusdem ordinis rarum, effectus exſerit, admodum manifeſtum eſt. Parum reſtat dubii, quin Tinea unus ſit ex his cutaneis morbis, quorum ſedes eſt in capillorum radicibus; & idcirco duplici modo curatio tentanda eſt, vel amovendo partes morboſas, vel eas deſtruendo. Horum priore praxis, quam volo, nititur: illa nimirum conſtat in applicando capiti picis emplaſtrum, quod relinquitur, usquedum capillis firmiter adhæret, & tunc, non niſi iis ſimul radicitus evulſis, auferri poteſt. Ab hac evulſione curatio hæc prorſus pendet. Verum, etiamſi hæc efficax ſit curatio, fatendum tamen eſt, eam admodum ſeveram eſſe; & revera tam crudelis eſt, ut, pauci, credo, eruditi Medici ejus periculum facere vellent. Hac igitur de cauſâ, in hoc caſu, malui meos conatus dirigere ad partes morboſas deſtruendas, & in hunc finem uſurpare Mercurium Sublimatum Corroſivum, medicamentum, quod, peculiarem topicum ſtimulum faciendo, effectus edit magnos admodum, & quod in aliis Tineæ caſibus vidi feliciſſime adhibitum. Quamvis autem nequeam dicere, ejus effectus in hoc caſu tantos fuiſſe, ac ſperaveram, tamen utilitas ſatis evidens ab eo provenit, ſaltem certo gradu; atque, licet morbum non

penitus ſubegerit, ad minimum tamen eum imminuit. Veroſimiliter etiam non parum adjuvit medicamentum poſtea præſcriptum: nam credidi, me hoc in caſu non tam diu Mercurium Sublimatum Corroſivum adhibere poſſe, ac ſtatueram; quodammodo enim plus, quam fuerat propoſitum, effecit: Firmiter ſcilicet capillis adhærendo, eodem fere modo, quo picis emplaſtrum, egit. Hinc Mercurio Sublimato Corroſivo Æruginem ſubſtitui, quæ etiam non raro in hoc morbo adhibetur; & ejus uſu plus, quam exſpectabam, obtinui. Nam, unguento unam ſeptimanam applicito, caput vidi tam liberum ab eruptione ſcabioſâ, acſi nunquam hac laboraſſet. Hoc tamen ſoli Ærugini nollem referre; & mihi perſuaſum eſt, ejus bonos effectus notabiliores fuiſſe, propter præviam Mercurii Sublimati Corroſivi applicationem. Sed, ſive ab alterutro, ſive ab utroque, horum medicamentorum factum ſit, ſi non permanentem, ſaltem temporariam, ſanationem obtinuimus: &, dum ſic ſe habet ægra, ſurditas proximum eſt attentionis noſtræ objectum.

Hic agnoſcendum eſt, me, quo me vertam, fere neſcire; præſertim cum de ſurditatis cauſâ multum dubitem. Pluribus autem in caſibus exiſtimare licet, ſurditatem ex uno, vel altero, ſequentium fontium oriri; ſcilicet vel ex defectu liberæ communicationis ſoni cum extremitatibus nervorum, auditui inſervientium; vel de-

defectu debitæ ſenſibilitatis in nervis, ſonus licet ad eos pervenerit. Quatenus una, vel altera, cauſa in caſu hoc agat, dicere nequeo. Si vero plane deeſt communicatio, prorſus ignoro, quanam id ex cauſâ oriatur. Agnosco igitur, conatus, quos ad curandum exſeram, magnâ ex parte, conjecturales fore.

Si reputamus, hunc morbum ſucceſſiſſe curationi eruptionis ſcabioſæ, aliqua datur præſumptio, eum forſan eſſe effectum mutatæ circulationis: Unde, ad minimum, aliqua curandi ſpes ſupereſt, nimirum in libraminis circulatorii mutatione. Hunc igitur in finem experiri ſtatui, quid poſſit fonticulus in collo excitatus, & per aliquod tempus apertus ſervatus. Hæc mihi methodus eo magis arridebat, quod exſpectabam, eam eruptionis ſcabioſæ recurſui obfore; nam, non ſolum derivationem ex vicinis partibus olim affectis producet; ſed etiam circulationis determinationem verſus capitis ſuperficiem mutabit, & idcirco putabam, hoc ſaltem fore experimentum, rationi conſentaneum. Si vero irritum erit, ad alia mihi erit recurrendum; atque in hunc finem primo attendere ſtatuo ad conditionem meatuum, per quos ſonus communicatur.

Paucæ fortaſſis ſunt methodi efficaciores, ad removendas obſtructiones in meatu auditorio, quam injectio aquæ tepidæ, ſyringæ ope. Hanc præterea hæc methodus virtutem habet, quod

imminutam ſecretionem commode adaugeat; & ita debitæ conditioni reſtituat partes, ſono communicando deſignatas. Si hoc non ſucceſſerit, alia tentari poſſunt; adhiberi nempe poteſt ſtimulus olei camphorati, xylo inſtillati, & ſic in aurem immiſſi. Ubi ſtimulo opus eſt, tunc, ut audivi, pix Burgundica, conflata in talem formam, ut in meatum auditorium facile introduci poſſit, ſæpe bonos edidit effectus. Sed ne meatui auditorio adhæreat, neceſſe eſt ei nebulam lineam circumdare. Certior factus ſum, aliquo abhinc tempore, hac methodo uſum fuiſſe Empyricum in hac urbe, cujus praxis prorſus in ſurditatis curatione conſtabat, & qui dicitur hoc ſimplici remedio ſanaſſe, quos Medici methodici ſanare non potuerant.

Verum notandum eſt, me tantum ex aliorum relatione hoc de remedio loqui, & putare, in quibusdam caſibus ab eo incommodum poſſe oriri. Nam, etiamſi nebulâ lineâ tegatur, pix tamen, ſi in aure liqueſceret, multum incommodi creare poſſet; & præterea notandum eſt, picem Burgundicam unum eſſe ex iis medicamentis, in Materia Medica relatis, quod ſæpisſime adulteratur; & etiam methodus, qua præparatur in *Saxonia*, unde ad nos venit, haud ſatis certa eſt. Quidam exiſtimant, eam nihil aliud eſſe, niſi communem Terebinthinam coctam. Sed qualiscunque ſit primaria ejus compoſitio, vel præparatio in illa regione, non dubita-

bitari poteſt, quin nonnulli ſoleant eam in *Britania* conflare ex Terebinthinâ, mixtâ cum certâ quantitate Reſinæ. Inde veriſimiliter ratio petenda eſt diverſorum ejus conſiſtentiæ graduum. Prout autem ea major, vel minor, eſt, magis, vel minus, liqueſcet. Si igitur nulla datur ratio aſſumendi, eam bonos edere effectus aliter, quam ſtimulando, aliam potius methodum tentarem; & plus ſperarem a ſtimulantibus olei camphorati viribus.

Forſitan methodus Allium in aurem, hoc conſilio, immittendi ſpectari poteſt, ut memoratarum alterutrâ potentior. Interior pars parvi bulbi Allii, vel nucleus (uti dicitur) a plebe hujus regionis ſæpe in hunc modum uſurpatur, ad ſurditatem curandam; &, ſi experimentum, quod jam propoſuimus, ſpem noſtram fruſtrabitur, hoc potius remedium, quam picem Burgundicam, experiri, ſtatuo. Præter ejus effectus in mutando ſecretionis ſtatu, ſperare etiam licet, nervorum ſenſibilitatem ab eo mutatum iri; nam ex ſenſibilitatis defectu, uti jam innuimus, potius, quam ex meatus ſtatu, morbus pendere videtur; quare etiam, antequam ægra dimittitur, Electricitatem, ad ejus ſurditatem curandam, tentabo. Si omnes hæ methodi irritæ fuerint, exiguam ſanationis obtinendæ ſpem ſuperfuturam, agnoſco: &, ut ut gravis hic morbus ſit, tamen talis eſt in pluribus caſibus, ut nec curari, nec allevari, poſſit.

De

De modo, quo tumori abdominis, & vomitui obviam eundum eſt, nihil dico; nam exiſtimo, præter legitimum regimen, iis vix quidpiam aliud neceſſarium fore.

Sic igitur quodammodo explicui curationis methodum, quam hoc in caſu jam ſum ſecutus, eamque, quam poſthac ſequar. Verum non impoſſibile eſt, me, propter recurſum priſtinorum ſymptomatum, vel propter nova phænomena, in variis rebus, conſilia jam propoſita mutare coactum iri.

Sequela.

Quamdiu hæc ægra Valetudinarium frequentabat, ab omni Tineæ capitis recurſu omnino libera manſit; & quum ex uſu fonticuli, cum oleo camphorato, ſurditas admodum allevata eſſet, non neceſſarium exiſtimabatur alia tentare.

CASUS XIII.

Obſervationes de ſymptomatibus anomalis, a Febre Intermittente orientibus, Cortice Peruviano tractatis.

D. M. Vir, viginti novem annos natus, lecticarius, in valetudinarium admiſſus die 7mo. Februarii, de obtuſo dolore, & ſæpe etiam

etiam de frigore in ſpinâ dorſi, plerumque cum horrore, queritur. Dolor aliquando ex ſpinâ dorſi trans inferiorem partem abdominis excurrit, ibique, ut dicit, ad tempus tumorem creat, reſpiratione interim multum impeditâ, alias dolor ſecundum ſpinam adſcendit, afficitque colli musculos tantopere, ut caput movere nequeat. Afficit etiam maxillas, & faciem, nec non gingivas, in quibus fugacem dolorem gignit; & dentes aliquot labefactavit.

Pulſus naturalis. Appetitus illæſus. Alvus lubrica. Urina alias pallida, & limpida, alias colorem admodum rubescentem habet.

Duodecim abhinc ſeptimanis, poſt meſſem ex *Anglia* revertens, dolore abdominis, vomitu, & catharſi, afficiebatur. His ſupervenerunt dolores, de quibus exinde queſtus eſt, & qui eum jam multum debilitârunt. Morbum laſſitudini ex itinere, adſcribit. Plurima ſumpſit medicamenta ſine levamine.

℞. *Elixirii Guajacini volatilis,*
Syrupi ſimplicis, ſingulorum drachmas tres.
M. fiat hauſtus horâ ſomni ſumendus. Repetatur ſingulis noctibus.

Die 15to Februarii. Hauſtus alvum modice laxârunt, ſed nullum excitarunt ſudorem. Dolores potius ingravescunt, & ab horâ quartâ matutinâ multum laborat horrore, & frigore,

quæ

quæ jam exiſtimat reverti, auctâ cum ſeveritate, alternis quibusque diebus.

Intermittatur medicamentum; ſed capiat horâ ſeptimâ veſpertinâ pulveris Ipecacuannæ ſcrupulum unum, pro emetico:

Et

℞. *Calcis Zinci grana tria,*
Pulveris Valerianæ ſylveſtris ſemidrachmam.
M. fiat pulvis, ſumendus ter quotidie.

Die 22do Februarii. Emeticum bene votis reſpondit, & pulveres nullum incommodum intulerunt. Sed adhuc afficitur horrore, & frigore, alternis diebus ſemper recurrentibus; & obſervat, paroxysmum præcipue gravem eſſe, quando ventus ab Oriente ſpirat. Adhuc frequenter doloribus exercetur; &, ut olim, tumor abdominis recurrit. Alvus naturalis. Pulſus 94.

Repetatur emeticum horâ ſeptimâ veſpertinâ. Continuetur calx Zinci, ſed augeatur doſis ad grana quinque.

Die 1mo Martii. Emeticum bene votis reſpondit. Aſſidue pulveres aſſumpſit. Dolores, quibus primo laborabat, jam multum remiſerunt; ſed per plures dies, ſingulo veſpere, horâ ſeptimâ, eum conſtanter adortus eſt horroris paroxysmus, & poſtea copioſe noctu ſudavit. Pulſus 84. Alvus regularis.

Capiat

Capiat horâ quartâ pomeridianâ pulveris Ipecacuannæ ſcrupulum. Cras mane capiat alternis horis pulveris Corticis Peruviani ſcrupulos duos.

Die 8vo Martii. Emeticum fuit efficax, & aſſidue Corticem Peruvianum ſumpſit, his quatuor diebus nullum horroris recurſum habuit; & dolores multo ſunt mitiores. Sed adhuc aliquando quodam intumeſcentiæ gradu afficitur. Pulſus 80. Alvus regularis.

Continuetur Cortex Peruvianus, ſed capiat tantummodo ſemidrachmam veſperi, & mane.

Die 15to Martii. Multum levatus eſt, nullumque horroris paroxysmi recurſum patitur.

Continuetur Cortex Peruvianus.

Die 22do Martii. Liber manet ab omni paroxysmorum horroris recurſu; & nulla alia ſymptomata jam adſunt, præter leve quoddam veſtigium tumoris in facie, ac gingivis. Dimittatur.

Animadverſiones in hunc caſum die 5to Aprilis propoſitæ.

Hujus ægri caſus, intra temporis ſpatium non admodum longum, noſtrâ curâ, feliciter ceſſit. Agnoſcendum tamen eſt, me non libenter daturum fuiſſe talem prognoſin, quum primo admittebatur. Caſu hoc conſiderato, eum morbum ſingularem eſſe credidi; atque fateor, me adeo circa ejus naturam erraſſe, ut eum tractaverim

verim aliter, quam feciſſem, ſi mihi rite cognitus fuiſſet. In hiſtoriâ valde accuratâ, quæ in diario relata eſt, invenietis collectionem ſymptomatum morbi hujus ægri quodammodo anomalorum; præcipua autem ſunt dolores, quos tumores comitabantur. Sed ambo fugaces fuerunt, ita ut in certâ corporis parte incipientes inde diverſimode propagarentur. Simul pro tempore affecerunt diverſas functiones, præſertim reſpirationem; ſed plures illæſæ manſerunt. Illæſus fuit appetitus, pulſusque naturalis. Hæc ſymptomata æger peculiari cauſæ adſcripſit, laſſitudini ſcilicet ex itinere. Ex hoc morbi conſpectu præcipue dubitabam, num hunc affectum, rheumaticum, an nervoſum, habere deberem. Quoad ſymptomata jam recenſita negandum non eſt, eum utrique aliquatenus ſimilem eſſe. Fugaces tumores Rheumatiſmi ſuppoſitioni potius favebant: ſed in initio, & decurſu, paroxyſmi nervoſum potius affectum ſimulabat morbus: & hanc opinionem quadantenus confirmavit modus, quo afficiebatur vis motrix; nam tempore paroxyſmi, ſaltem poſtquam dolor aliquantum increverat, caput movere non poterat.

His ſuppoſitionibus initio dirigebatur ſanatio. Cito tamen merito ſuſpicatus ſum, neutram opinionum memoratarum bene ſtabilitam eſſe: atque morbus formam induit, quæ conjecturæ alii locum dedit. Æger quippe certâ horâ ſemper

per paroxyſmo impetebatur; & horror, in ſingulis paroxyſmis inde ab initio obſervatus, gravior fiebat: hinc primum exiſtimavi, Febrim hanc Intermittentem eſſe anomalam; atque puto, hanc conjecturam poſtea, maximâ ex parte, confirmatam eſſe medendi methodo, quæ adhibita fuit. Pauci forſitan morbi in ſuis phænomenis plures ſubeunt varietates, quam Febres Intermittentes; hocque ſatis probat elaboratum Cl. SAUVAGESII opus: in eo videri poteſt, quam multis, & diverſis ſub larvis omnes Febrium Intermittentium typi aliquando abſcondantur. Alia autem hujus caſus circumſtantia adhuc magis hanc ſuppoſitionem corroborat; nam notandum eſt, hic adfuiſſe cauſam, quæ Febrem Intermittentem inducere poteſt. Æger ſcilicet ipſe laſſitudini morbum adſcripſit. Verum brevi, antequam exorſus eſt, meſſis tempore fuit in agro *Lincolenſi*; nam plebs hujus regionis multum adſueſcit, mercede conductâ, meſſi operam dare, in agro *Lincolenſi*, & in aliis paludoſis comitatibus, unde Febres Intermittentes ſæpius reportant; quibus exponuntur & regionis naturâ paludoſâ, & anni tempeſtate. Igitur æque veriſimile putavi, ex eo morbum originem habuiſſe, ac ortum eſſe ex laſſitudine, contractâ in itinere, cum domum reverteretur; atque forſitan addere licet, hanc opinionem ultra confirmari modò, quo exorſus eſt. Incepit nempe vomitu, & catharſi, ſymptomatibus,

quæ nequaquam rara ſunt in exordio Febrium Intermittentium. Fateor tamen, me, & hac adoptatâ opinione, de prognoſi adhuc valde dubitaſſe, atque in nullâ morbi periodo curationem certo exſpectaſſe. Nam, licet hunc morbum Febrem Intermittentem crederem, tamen ſuſpicatus ſum, eum pertinacem fore; & adhuc pertinaciorem, ſi morbus eſſet generis nervoſi: opinio autem, quæ eum Rheumatismum eſſe ſtatuit, ex his tribus, maxime a ſcopo aberrabat. Quoad ejus finem tamen feliciter deceptus ſum; nam curandi methodo Intermittentibus familiari æger cito convaluit.

Notandum autem eſt, ne adhuc quidem ſanationem omnino certam eſſe; nam verno præſertim tempore Intermittentes Febres facillime recurrunt. Verum, ſi æger tunc ad nos iterum accedat, non eſt, cur a recurſu multum timeamus. Quum etenim morbus nunc tam facile ceſſerit, ſperare licet, eum poſthac non obſtinatum fore: &, utcunque res ſe habeat, vernæ Intermittentes, ſi modo levia ſint ſymptomata, nullo modo periculoſæ ſunt; imo, maximâ ex parte, prout ver verſus finem tendit, etiam abſque medicamentorum auxilio evaneſcunt.

Noſtra in hoc caſu praxis, diverſis temporibus, diverſo dirigebatur modo, quod omnino fuit effectus incertitudinis, &, quod mihi agnoſcendum eſt, errorum circa morbi naturam. Cum crederem, Rheumatismum adeſſe,

pri-

primum ægro *Elixir Guajacinum* exhibui, medicamentum, de quo ſæpius verba feci, & ex quo, in quibusdam hujus morbi caſibus, optimos effectus redundaſſe, vidi. Hoc autem in caſu fruſtra datum fuit, & ſimul paroxysmus magis regularis factus eſt. Hinc credidi, morbum eſſe generis nervoſi; cumque exiſtimarem, dolores forſan effectus eſſe ſpaſmi periodici, Zinci Calcem præſcripſi; &, quo certior eſſet ejus effectus, Emeticum exhibere juſſi, anteaquam hæcce calx ſumeretur. Hæc autem medicamenta etiam fruſtra ſunt adhibita: ac tandem conſtans paroxysmorum regularitas, cum adaucto horrore, mihi Febris Intermittentis anomalæ opinionem ſuggeſſit. Igitur conſuetum remedium, Corticem ſcilicet Peruvianum, tentare ſtatui: nam putabam, hunc, etiamſi morbus eſſet generis nervoſi, nullum tamen malum effectum editurum; &, ſi Intermittens eſſet, curationem me eo obtenturum ſperavi. Eventus, uti jam notavi, conjecturam confirmavit, & ejus uſu æger ab omnibus ſymptomatibus cito liberatus eſt. Attamen non æquum eſſe cenſui, Corticem non amplius adhibere; nam ſic ejusmodi Febres ſæpe recidivas patiuntur; etiamſi hoc alioquin non accidiſſet. Igitur ejus uſum, per aliquod tempus, poſtquam ſymptomata jam magnâ ex parte fugata erant, continuandum credidi, doſi tamen, ſolummodo veſperi, & mane, exhibita. Per totum hoc ſpatium nul-

lum adfuit recurſus ſymptoma: Itaque non neceſſarium eſſe duxi, ut Valetudinarium ultra frequentaret; &, quum exinde nihil de illo audiverim, illibatâ eum frui ſanitate reor.

Sequela.

Hic æger liber manſit ab omnibus, quibus laboravit, ſymptomatibus, ac ad priſtinum ſuum opus, lecticarii ſcilicet, rediit; idque adhuc exercet.

CASUS XIV.

Obſervationes de Dyſphagiâ, Electricitate curatâ.

J. W. Matrona, trigeſimum primum agens ætatis annum, in valetudinarium admiſſa die 14to Februarii 1777, de difficili, & doloroſâ deglutitione queritur, præſertim cum ſolidum aliquem cibum ſumere nititur; tantumque hoc moleſtiæ adfert, ut ſex integros menſes nihil omnino, præter fluida, ad vitam ſuſtentandam, ingerere potuerit; hæc autem ſine magno incommodo deglutire poteſt. Faucibus inſpectis, nullum obſervatur impedimentum. Sed ſe ſentire putat parvas duas veſiculas, vel ulce-

ulcerationes juxta linguæ radicem. Pulſus & Alvus naturales: menſes regulares.

Duodecim abhinc menſibus hoc morbo primum correpta fuit, ſine ullâ cauſâ evidente. Non multo poſt tempore, tumor in jugulo apparuit, qui cito poſt ſuppurationem disparuit. Ab eo tempore ſimiles habuit tumores, qui ſemper absque ſuppuratione evanuerunt. Satis magnam Mercurii quantitatem ſumpſit, & alia etiam medicamenta, quorum naturam ignorat. Sed ab iis omnibus nullum levamen percepit.

Eliciantur ſcintillæ Electricæ e faucibús externis, ter in ſeptimaná, & capiat ſingulis noctibus, cubitum itura, Tincturæ Fuliginis drachmas duas.

Die 22do Februarii. Aliquam in ventriculo anxietatem a Tincturâ Fuliginis percepit. A 15to hujus menſis die ter fuit electrizata; ac exiſtimat, ſe jam facilius deglutire poſſe; ſed adhuc de conſtanti in gutture dolore queritur.

Intermittatur Tinctura Fuliginis, continuetur Electricitas, ut antea.

Die 1mo Martii. Aſſidue adhibita fuit Electricitas. Adhuc de gutturis dolore queritur, ſed jam ſolidum cibum facilius deglutit, quam ante ſex menſes. De moleſtiâ, & tumore a flatibus, in regione ventriculi, ſingulis diebus poſt meridiem recurrentibus, queritur.

Continuetur Electricitas. Et

℞. *Tincturæ aromaticæ unciam unam. Aquæ Menthæ Piperitidis uncias quatuor. M. Capiat ſemiunciam quotidie, horâ undecimâ matutinâ.*

Die 8vo Martii. Adhuc pergit majori, quam olim, facilitate, deglutire; atque, ex quo mixturam ſumere cœpit, ventriculi affectus multum remiſerunt. Sed adhuc valde incommodus eſt gutturis dolor.

Continuentur medicamenta.

Die 15to Martii. Nunc liberata eſt a ventriculi affectibus; & levi, aut nullâ, difficultate ſolidos cibos deglutit. Verum adhuc de fixo dolore queritur, qui nunc in ſiniſtro colli latere præcipue ſedem habet.

Intermittatur mixtura. Continuetur Electricitas, & illinatur oleum Camphoratum parti cervicis dolenti, veſperi, & mane.

Die 29no Martii. Oleum camphoratum non adhibitum fuit, uti præſcriptum erat; &, cum per aliquod tempus ruri degiſſet, Electricitas fuit omiſſa. Nulla nunc adeſt deglutiendi difficultas; ſed adhuc aliquantum queritur de dolore fixo in gutture.

Intermittatur Electricitas; ſed utatur oleo Camphorato.

Animadverſiones in hunc caſum die 12mo Aprilis propoſitæ.

Hujus ægræ morbus, & naturâ, & phæno-

me-

menis, admodum peculiaris eſt; & unico tantum ſymptomate conſtat, difficili ſcilicet deglutitione; quæ, ut bene notum eſt, tanquam ſymptoma in variis morbis occurrit; & præſertim ſæpe in cynanche obſervatur.

Sed præterea in plerisque Noſologiæ ſyſtematibus, ut per ſe morbi genus conſtituens, memoratur. In Noſologia Cl. LINNÆI *Aglutitio* nominatur, in VOGELII Noſologia *Oeſophagismus.* Sed SAUVAGESIUS inter omnes alios minutiſſime, ac accuratiſſime, eam deſcripſit titulo *Dyſphagiæ.* Ad hoc genus non minus, quam undeviginti ſpecies, retulit, quæ omnes caſus conſtituunt difficilis deglutitionis, a diverſis cauſis provenientis. Verum nullius earum deſcriptio caſui præſenti utique quadrat. Aliæ, veluti paralitica, ex defectu vis motricis oriuntur; aliæ, veluti ſpasmodica, ex conſtrictione in deglutitionis niſu occurrente; reliquæ, ab aliquâ peculiari topicâ affectione, circa Laryngem, vel œſophagum, ortum habent. Nullam tamen ſpeciem recenſuit, quæ prorſus fuit effectus doloris in ipſâ deglutiendi actione, ſine manifeſtâ cauſa; & quidem ita, ut talis fuerit doloris ſedes, ut, ſi aliquis topicus affectus exſtitiſſet, neceſſario in conſpectum debuiſſet venire. Verum, quatenus obſervare potui, nihil morboſum conſpici potuit. Ægra quidem ipſa dicit, ſe in gutture quandam ſenſationem percepiſſe, quam a veſiculâ originem ducere

 exi-

exiſtimabat; & Vir quidam clarus, qui hujus ægræ curam habuit, antequam ſe nobis commiſit, putavit, ſe certo quodam tempore tale quid detegere potuiſſe. Sed, quamvis tale quid forſan tunc temporis exſtiterit, vix poſſum dubitare, id evanuiſſe, anteaquam noſtræ curæ ſe commiſit.

Cum hanc ægram tractare incepimus, eam ſpectare oportuit, ut difficili deglutitione laborantem, non ex obſtructione, ſed ex dolore; qui adeſt in partibus in faucibus conſpicuis, ſed nullo manifeſto morbo affectis. Nunquam mihi antea contigit talem caſum tractare, qui ſymptomata his ſimilia exhibuit. Credo autem, nullum hic eſſe locum morbi exiſtentiam in dubium revocandi; nam ægra nullum habuit incitamentum, cur nos, vel eos, qui ejus curam antea geſſerunt, falleret; atque nullum mentis depravatæ indicium oſtendit, quæ faceret, ut ipſa ſibi imponeret. Præterea ante, quam noſtrum auxilium petiit, gutturis laboravit morbis, quorum ſymptomata ſæpius manifeſta fuerunt. Horum in morbi hiſtoriâ fit mentio, prout ipſa ægra retulit. Nunc tamen addere licet, eam circa priſtinos gutturis morbos aliquid Virum celaſſe, qui ejus morbi hiſtoriam exaravit. Nimirum licet honeſtæ ſpeciem habet, illi revera venerei fuerunt. Hæc cauſa fuit, quare Mercurium, qui in hiſtoriâ memoratur, ſumpſit. Cujus uſu, licet gutturis ulcerationes

ſa-

ſanatæ fuerint, peculiaris tamen in deglutiendo dolor non fuit remotus.

Igitur parum dubito, quin hic morbus a viru venereo, quod jugulum affecit, originem duxerit. Verum valde incertum eſſe judico, quatenus pro venereo ſymptomate haberi potuerit, vel quatenus eum licuerit conſiderare, ut a lue venereâ pendentem, cum caſum tractare incepimus. Fateor, quum jam Mercurio reſtitiſſet, nullaque adeſſent luis venereæ manifeſta phænomena, me aliam de hoc morbo opinionem foviſſe. Quoniam ægra fluida quidem, ſed non ſolida, deglutire poteſt, evidens eſt, dolorem non a niſu in deglutiendo ortum eſſe, nam juſtæ magnitudinis bolus leviſſimum niſum deſiderat; & non rarum eſt in anginâ phœnomenon, hac laborantes ſputum majore dolore, quam ſolidum cibum, deglutire; quamvis tamen quædam ſint conditiones partium inflammatarum, in quibus ex cibi ſolidi contactu dolor neceſſario oriri debet; quod tunc veriſimiliter fit ab adauctâ, per nimiam tenſionem, nervorum ſenſibilitate.

Itaque hunc caſum, quamvis diverſæ indolis, quodammodo huic affectui analogum eſſe exiſtimavi. Eum exemplum præbere credidi adauctæ ſenſibilitatis pharyngis ex peculiari ſtatu extremitatum nervorum, quem ſtatum ortum duxiſſe putavi a venereo morbo, quo hæ partes olim laboraverant. Hæc igitur eſt mea de morbi

indole ſententia; ſique ei nomen imponendum mihi eſſet, eum tantummodo redigerem ad Sauvagesii *Dyſphagiam*, diverſisque, quas enumeravit, ſpeciebus aliam adjicerem, titulo *Dyſphagiæ Doloroſæ*.

Sed inter vos forſitan non pauci de æquitate nominis & conjecturæ dubitabunt. Longe abeſt, ut aſſererem ſuppoſitionem, jam prolatam, vel certam eſſe, vel etiam valde probabilem: perſuaſum habeo, eam non ſolum multis difficultatibus obnoxiam eſſe, ſed alias etiam eſſe conjecturas, quibus phænomena explicari poſſent. Verum, caſu diligenter perpenſo, hanc ſuppoſitionem amplexus ſum, utpote quæ maxime rationi conſentanea mihi videbatur; atque etiam puto, hanc conjecturam effectibus methodi medendi, terminationeque, quæ jam obſervatur, quodammodo confirmatam eſſe; dum etiam nihil in toto morbi decurſu occurrit, quod me ad ſententiam mutandam impulit.

Fateor, me, cum ægra fuit admiſſa, valde dubium fuiſſe de morbi eventu. Verum nequaquam volui propitium dare judicium; nam, etiamſi vera eſſet mea conjectura, nulli tamen ſunt morbi magis obnoxii variationibus, quoad eventum, quam qui generi nervoſo ortum debent. Hi alias valde inopinato cedent, alias obſtinatiſſime ſine mutatione manebunt: dum vel potentiſſima medicamenta uſurpantur. Quoniam igitur tamdiu duraverat morbus, fateor, me non ſpe-

ſperaſſe, illum ſubito in melius mutatum iri: &, ſi talis fieret mutatio, exinde appariturum putabam, illum alius fuiſſe naturæ, ac credideram. Sed res non ita evenit, & ſpero morbum terminatum eſſe, idque, quam exiſtimaveram, felicius. Haud tamen pro certo aſſererem, hanc ægram radicitus ſanatam eſſe. Verum, quum ſanitas ſit ſenſim recuperata, exiſtimo, magnam adeſſe ſpem, illam permanentem fore; & ſimul dico, me eam referre ad methodum medendi, quam adoptavi.

De medendi methodo, quæ huic caſui conveniebat, non minus, quam de prognoſi, dubitabam. Aliquid tamen experiri ſtatui, ſecundum eam ſententiam, quam jam de morbi indole propoſui. Mirum fortaſſe videbitur, me in hunc finem ad Electricitatem recurriſſe, cujus eximia utilitas in augendâ ſenſibilitate bene innoteſcit. Hinc concludi poſſet, eam male accommodatam eſſe caſui, in quo ſenſibilitatem jam morboſe adauctam eſſe judicabam. Verum ſæpius jam obſervavi, me exiſtimaſſe Electricitatis virtutem in re medicâ nondum vel penitus perſpectam, vel rite explicatam eſſe. Quod ad me attinet, quantum Electricitatis actionem cognoſcere potui, mihi perſuaſum habeo, eam non minus utilem eſſe ad vim nervoſam adaugendam, ubi deficit, quam ad ejus naturalem conditionem reſtituendam, quum aliter ſeſe male habet. Quomodo talem mutationem indu-

du-

ducat, non auſim dicere, ſaltem aliquâ cum fiduciâ: ſed hac de re aliquando mecum quædam conjeci, quæ veſtro examini ſubmittere non dubito. Ex una duarum ſequentium cauſarum morboſam ſenſibilitatem pendere, puto; ſcilicet, ex ſtatu ſenſibilium extremitatum nervorum, vel ex conditione fluidi nervei: exiſtimo, hæc ambo ab Electricitate affici. Extremos nempe afficiet nervos, quatenus ut ſtimulus in fibras motrices agat; & afficiet fluidum nerveum, quatenus omnis ſtimulus, extremis nervis applicitus, neceſſario ad eorum originem usque ſuos exſerat effectus: & ſic totius cerebri actionem mutare poteſt, vel ſaltem ejus partis, quæ fluidum ſecretum nervis morbo affectis ſuppeditat. Nam cerebrum conſidero, non ut unicum organum, ſecretioni diſtinatum, ſed ut ſecernentium organorum compagem: & credo, fieri poſſe, ut fluidum, uno eodemque tempore ſecretum, ac ad diverſos nervos delatum, eaſdem generales dotes non poſſideat.

Tales exſpectans effectus, Electricitatem in caſu hoc experiri ſtatui. Verum, cum eam primo ſuaſi, putabam, dolorem forſan quodammodo a ſpaſmodicâ affectione pendere; &, hac de cauſâ, ut antiſpasmodicum, Tincturam Fuliginis exhibui. Sed, cum dolor quadantenus conſtans eſſet, & ægra nullam querelam de peculiari conſtrictionis ſenſatione moveret, ſententiam tandem mutavi; &, quia Tinctura Fuli-

liginis aliquam ventriculo moleſtiam creabat, eam intermiſi, ſolam Electricitatem adhibiturus. Hic notandum eſt, me adhibuiſſe Electricitatem ita, ut ſcintillas eduxerim, nam hoc modo præcipue in extremos nervos agit, qui effectus maxime in hoc caſu deſiderabatur. Primum jam experimentum quosdam bonos effectus producere videbatur, &, iis duas tantum ſeptimanas continuatis, facilius, quam ante per ſex menſes potuit, deglutivit. Hoc autem tempore certis quibusdam periodis, flatibus infeſtabatur ventriculus. Hos caſu tantum natos cenſui, ac nullam cum morbo jam memorato connexionem habere. Nihilominus ad eos expellendos æquum eſſe judicavi, mixturam ex aqua Aromaticâ, cum aquâ Menthæ Piperitidis compoſitâ præſcribere, quæ intra breve tempus votis reſpondit: atque, Electricitate diutius continuatâ, ægra jam ab omni deglutiendi difficultate penitus liberata eſt; quare non amplius opus eſſe putavi, eam nos ultra viſitaturam. Verumtamen quum adhuc de aliquo fixo dolore queratur, partes affectas oleo camphorato fricare juſſi, quod, ut ſpero, eum cito amovebit. Sed, cum longe abhinc habitet, ſeſeque jam domum contulerit, dubito, num poſthac de illâ audiverimus. Si morbi recurſum patietur, de eo veriſimiliter nos certiores faciet, atque ſi nihil adverſi audivero, inde colligere licebit, eam ſanitate frui.

Se-

Sequela.

Hæc ægra domum reverſa, quæ *Edinburgo* multa millia paſſuum diſtabat, breve tempus frictionem cum oleo camphorato continuavit. Dolor fixus gradatim evanuit, neque opus fuit ei, ulla alia medicamenta ſumere.

CASUS XV.

Obſervationes de Paralyſi, Electricitate tractatâ.

W. S. puer ſexennis, in valetudinarium admiſſus die 18vo Februarii 1777, dextrum brachium fere prorſus non movere poteſt; ac crus ejus dextrum ſimili malo admodum laborat. Manus ac pes aliquatenus incurvantur; ſed partium affectarum ſenſus non multum imminutus eſt. Pulſus naturalis: alvus potius adſtricta: appetitus aliquantum læſus.

Quinque propemodum annos his paralyticis ſymptomatibus laboravit. Intra illud tempus variolis fuit correptus, & haud multo poſt, tuſſi convulſivâ, & morbillis. Admodum graves fuerunt hi morbi; atque eos ſecutus eſt hic morbus, qui exinde parum variatus continuavit.

Nulla

Nulla ſumpſit medicamenta contra hunc morbum.

Accipiat, ter in ſeptimanâ, ictus electricos quatuor, ad gradum ſecundum; & eliciantur ſcintillæ electricæ e latere dextro.

Die 1mo Martii. Aſſidue adhibita eſt Electricitas, movetque & crus, & brachium majore, quam in morbi initio, facilitate; ac mater ejus cenſet, brachium affectum nitidius, pleniusque eſſe, quam erat ante Electricitatis uſum.

Continuetur Electricitas, ſed accipiat, ſingulis vicibus, ictus electricos ſex, ad gradum tertium.

Die 8vo Martii. Brachium jam multo facilius, quam olim, movet.

Continuetur Electricitas, & accipiat ictus octo, ad gradum tertium, ſingulis vicibus.

Die 15to Martii. Senſim recuperare pergit & brachii & cruris uſum.

Continuetur Electricitas, & accipiat ictus duodecim, ad gradum tertium.

Die 22do Martii. Magis atque magis indies brachii motus reſtauratur; & facilius, & firmius, quam olim, incedit.

Continuetur Electricitas, & accipiat ictus quindecim, ad gradum tertium.

Die 29no Martii. Convaleſcit.

Continuetur Electricitas, ut antea.

Die 5to Aprilis. Convaleſcit.

Continuetur Electricitas.

Die 12mo Aprilis. Et robur, & motum lateris

ris affecti recuperare pergit. Nullumque ſentit incommodum ab Electricitate.

Continuetur Electricitas, & accipiat, ſingulis vicibus, ictus quindecim, ad gradum quartum.

Animadverſiones in hunc caſum die 19mo *Aprilis propoſitæ.*

Hujus ægri caſus manifeſtum nobis præbet exemplum morbi, de quo nullus eſt dubitandi locus; nam ſatis patet, eum Paralyſi laborare. Motus poteſtas tantum imminuta eſt, ſenſibilitate parum læſâ; dum, eodem tempore, circulatio, magnâ ex parte, in membris affectis naturalis manſit, quæ membra parum, aut vix, ut percipi poſſit, decreverunt. Verumtamen malum exiguum intra ſpatium nequaquam continetur; nam crus, ac brachium, dextri lateris pariter afficiuntur: &, cum hanc motus jacturam ſenſibilitatis defectus non comitatur, quæ ſola res alias ejusdem lateris partes affectas eſſe oſtendere poſſet, concludere licet, morbum etiam ad alias partes extendi, atque illi *Hemiplegiæ* nomen utique convenire.

Nonnulli Hemiplegiam, ut per ſe morbi genus conſtituentem, conſiderant. Sed, ſi nomen hoc omnino adhibendum eſt, opinor, id uſurpandum potius eſſe ad peculiarem Paralyſis ſpeciem diſcernendam.

Facile videbitis, in hoc caſu, & in dandâ prognoſi, & in curatione dirigendâ, multas occurrere quæſtiones. Ac prima & præcipua eſt,

eſt, num motus jactura oriatur a mutatâ conditione vehiculi ſenſus, & motus, vel a mutatâ conditione canalium, per quos hoc vehiculum tranſit? Si ſupponamus, cauſam poſteriorem adeſſe, inquirendum eſt, num ex eroſione, compreſſione, vel aliquâ aliâ cauſâ pendeat? &, ſi ponamus, compreſſionem ſymptomatum cauſam eſſe, num illa in nervorum curſu, vel in eo um origine exiſtat? quod ad me, hunc morbum a cauſâ complicatâ oriri, credo; nam manifeſto originem duxiſſe videtur a longâ, & continuâ, morborum præcedentium ſerie. Æger quippe in variolas, morbillos & tuſſim convulſivam, exiguis intervallis, ſibi invicem ſuccedentia, incidit, atque hæc eum in hoc ſtatu reliquerunt; nam hic ſtatus ex compreſſione ab iis illatâ potius, quam aliunde, provenit. Verumtamen hanc compreſſionem nervos in eorum curſu non afficere, ſatis probatur ex eo, quod morbus tam late pateat. Videtur hæc intra cerebri hemiſphærium contineri; atque ibi veriſimiliter agit mutando ſtatum ſecretionis in illo hemiſphærio, vel, ut ita dicam, inducendo talem actionis illius hemiſphærii conditionem, ut fluidum nerveum minori, quam par eſſet, mobilitate præditum, ſuppeditet.

Hæc conjectura circa cauſam Paralyſis, in hoc caſu, ad propitiam nos non ducit prognoſin; præſertim quando hic morbus hominem in tali vitæ periodo, cum corpus tam multis obnoxium

K eſt

eſt mutationibus, plures jam annos afflixit. Verum, ſi adeſt compreſſio, adhuc naturæ viribus removeri poteſt; &, ſi hoc a reſtauratâ debitâ cerebri actione factum ſit, morbus poteſt perfecte curari: ſin minus, fieri tamen poteſt, ut arte levetur; atque hoc conſilio, huic ægro Electricitatem præſcripſi. Nam, licet morbi cauſa reſtet, actionem tamen cerebri ita mutari poſſe, exiſtimo, ut major, quam nunc, ſit nervei fluidi mobilitas. Atque hunc finem aſſequi volo ictibus, in totum corpus agentibus, ac ſcintillas ex partibus affectis eliciendo, per quas extremis nervis peculiaris applicatur ſtimulus, hinc eorum origini communicandus. Electricitas jam per aliquod tempus continuata eſt, & procul dubio hactenus bonos produxit effectus. Facies etiam externa brachii quodammodo mutata eſt; nam nitidius pleniusque, quam olim, apparet; & non exiguo fruitur motu. Verum notare licet, motum nondum perfecte recuperatum eſſe, progreſſumque ad ſanitatem initio celeriorem fuiſſe, quam nuper.

Igitur, quamvis tantum ſit profectum, timendi tamen locus eſt, noſtrum ex his eſſe caſibus, quos, licet prima phænomena ſecundam ſpem præbeant, Electricitas penitus curare non valet. Non poſſum, quin putem, hac re quodammodo confirmatam eſſe meam conjecturam, quæ cerebri compreſſionem cauſam primariam eſſe ſtatuit; nam non facile ejusmodi compreſ-

ſio

ſio Electricitate ſanatur; &, dum reſtat, actio hemiſphærii morboſi cerebri aliquatenus, non autem penitus, reſtitui poteſt. Si tamen nos aſſidue viſitaverit, hoc remedio; & quidem nullâ aliâ medendi methodo ſimul in uſum tractâ, præcipue, ut videam, quid per ſe Electricitas efficiat, utar. Verum, ſi non ultra ſuccedere videbitur, mihi in animo eſt ſuadere, ut in nuchâ fonticulus excitetur, quo ſaltem ſperare licet, compreſſionem cerebri, ex ſero ortam, poſſe removeri. Si vero alius generis ſit compreſſio, exſpectare nunc fere non poſſumus, illam aliquo modo auferri poſſe. Talis eſt etiam hic caſus, ut in eo aliquid a ſternutatoriis ſperare liceat: ſed puto nimis teneram ægri ætatem minime aptam eſſe ad quorundam potentium medicamentorum hujus generis periculum ſubeundum; idemque & Mercurii uſui obſtat. Si conſilia jam propoſita vana fuerint, veriſimiliter ægrum dimittam; ac illum admonebo, alia experiri remedia, quando hæc facilius ferre poterit.

Sequela.

Electricitas paucas adhuc ſeptimanas continuabatur, & tunc æger, nullo alio medicamento adhibito, fuit dimiſſus. Morbus ejus haud penitus ſanatus, ſed magnopere levatus fuit.

CASUS XVI.

Obſervationes de Diarrhœâ, cum dejectionibus ſanguinolentis, diverſis adſtringentibus tractatâ.

M. L. Mulier quinquagenaria, in valetudinarium admiſſa die 7mo Martii 1777, frequentibus laborat excrementorum fluidorum dejectionibus. Fæces aliquando ſtriis ſanguineis notantur, earumque dejectionem viscerum abdominalium dolor comitatur. Queritur etiam de tenesmo, ac flatibus, cum frequenti capitis dolore. Quando vegetabilia in cibum vertit, obſervat, ea plerumque indigeſta alvo ejici. Pulſus naturalis eſt, & appetitus illæſus, ſed magnam patitur ſitim, præſertim noctu; atque cutis ſolito eſt aridior. Verum lingua humida eſt, & menſes intra ſex annos non apparuerunt.

Hæc ſymptomata novem circiter abhinc menſibus inceperunt, atque ea frigori adſcribit. Multa ſumpſit medicamenta, ſed ab iis parum levaminis accepit.

℞. *Infuſi Japonici uncias ſex.*
Laudani Liquidi guttas quadraginta.
Syrupi ſimplicis unciam unam. M. Capiat unciam unam, ſingulis noctibus, ſub horam ſomni.

ſomni. Capiat etiam, omni mane, Decocti Campechenſis uncias quatuor.

Die 22do Martii. Medicamenta aſſidue ſumpſit, & nullam ventriculo ægritudinem induxerunt. Dejectiones jam minus ſunt frequentes; ac minus, quam olim, tenesmo laborat. Materia evacuata nullo nunc ſanguine miſcetur; ſed ægra adhuc magnam muci copiam ejicit.

Continuentur medicamenta.

Die 5to Aprilis. Intra octo dies nulla ſumpſit medicamenta, & diarrhæa nunc tam frequens eſt, ac olim. Mucus magnâ copiâ, ſed, nullo cum ſanguine, evacuatur. Pulſus octoginta circiter vibrationes minuti ſpatio perficiunt, ſed crebis cum intermiſſionibus, quæ tamen ex ordine non occurrunt. Magnâ laborat ſiti, ac, licet lingua munda ſit, aridior tamen eſt, quam antea.

Intermittatur Decoctum Campechenſe. Continuetur Infuſum Japonicum, ut antea, &

℞. Pulveris Rhei ſcrupulum unum.
Magneſiæ albæ ſemidrachmam. M. Capiat doſin horâ octavâ matutinâ, alternis diebus.

Die 12mo Aprilis. Adhuc dejectiones habet frequentes, & liquidas; ſed vix aliquid ejecit muci, ex quo pulveres aſſumpſit; & quoad cætera melius ſeſe habet.

Continuentur medicamenta.

Die 19no Aprilis. Dejectiones liquidæ per aliquot dies quadantenus frequentiores fuerunt;

 at-

atque de majori circa ventriculum ægritudine queritur.

Intermittantur medicamenta; &

℞. *Laudani Liquidi guttas ſexaginta.*
Tincturæ Rhei uncias quatuor.
Syrupi ſimplicis uncias duas. M. Capiat ſemiunciam, ſingulis noctibus, horâ ſomni.

Die 26to Aprilis. Diarrhœa multum remiſit, ex quo mixturam ſumere cepit.

Continuetur mixtura, ut antea.

Animadverſiones in hunc caſum, die 16to *Maji propoſitæ.*

Hujus ægræ caſus, quod ejus nomen ſpectat, diſputationi quodammodo anſam præbere poteſt. Hoc autem non tam ab aliquâ circa ejus naturam difficultate provenit, quam quia eadem nomina diverſo ſenſu fuerunt uſurpata. Nonnulli exiſtimant, tormina, teneſmum, & dejectiones ſanguinolentas, *Dyſenteriam* conſtituere; atque hoc ſenſu nomen illud huic morbo neceſſario tribueremus. Verum Dyſenteriæ nomine intelligi volo peculiarem febrilem morbum, a ſpecificâ contagione pendentem. In hoc caſu autem nulla datur talis morbi ſuſpicio; eoque ſenſu, quo Diarrhœæ nomen accipi volo, absque ulla dubitatione, hujus ægræ morbum Diarrhœæ exemplum eſſe, aſſero.

Sitis, ac arida cutis, quæ hic occurrunt, naturales ſunt ſequelæ ſeroſæ evacuationis; dum teneſmus, & ſanguinolentæ dejectiones, qua-

quatenus adſint, tantummodo abraſorum inteſtinorum effectus ſunt. Catameniorum defectus per ſex annos conſiderandus eſt, ut naturalis corporis ſtatus; nam notandum eſt, ægram annum ætatis quadrageſimum quartum expleviſſe, antequam hæc evacuatio ceſſavit; atque haud raro accidit, ut mulieres ante hanc periodum hoc tributum ſolvere deſinant.

In ejus morbi hiſtoriâ aliqua tamen occurrit circumſtantia, quæ faceret, ut quidam morbum, ut quodammodo complicatum, conſiderarent. Statum volo, quo vegetabilia per ſedem expelluntur: nam, quoties ea in cibum vertit, indigeſta, uti certiores facti ſumus, abeunt. Quidam exiſtimaverunt, hoc ſymptoma peculiare morbi genus conſtituere; & in plerisque ſyſtematibus Noſologicis *Lienteriæ* titulo notatur. Credo tamen, eam injuſte ut genus diſtinctum haberi, & Cl. Cullenum rectius feciſſe, qui eam cum Diarrhœa conjunxit. Hic etiam caſus argumenta præbet, cur talis fiat conjunctio: nam hîc *Lienteria* tantum ex parte obtinet; atque, licet Diarrhœa diu duraverit, hoc ſymptoma tamen nunquam pejus factum eſt.

De hujus caſus eventu haud prorſus ſum timore vacuus. Dicere quidem adhuc nequeo, morbum hunc habitum corporis multum affeciſſe; ægra enim nec valde debilitata eſt, neque ejus habitus admodum eſt depravatus. Sed tamen

men cæterum jam ſatis longum tempus duravit, multisque reſtitit medicamentis. Horum quidem naturæ certiores nos reddere non potuimus; at ex multis colligere licet, ea ex leviſſimis non fuiſſe. Ex quo noſtræ curæ fuit commiſſa, varia tentata ſunt, ſed morbus, magnâ ex parte, immutatus permanſit: ac notare licet, hunc morbum ad hos pertinere, quibus nonnunquam corpus adſueſcit. Quando hoc accidit, curatio difficilior fit, majorque cautela requiritur; nam, ſi ſubito reprimitur, poſt ſe ſæpius incommoda relinquit.

Igitur in hujusmodi caſu curatio gradatim, potius quam ſubito, perficienda; atque certiores facti ſumus, multa in hunc finem remedia hoc in morbo uſurpata eſſe. Quoniam tamdiu duravit, vix datur locus cujusdam cauſæ, irritationem præbentis, ſuſpicandæ, qua inteſtinorum actio excitaretur: vel ſaltem ſi tale irritamentum exſtitiſſet, id ejus eſſe naturæ exiſtimarem, ut arte removeri non poſſet.

Itaque hunc morbum conſidero, ut effectum auctæ diſpoſitionis ad agendum, auctæque ſecretionis per inteſtina: hæc tamen adaucta ſecretio a nimiâ determinatione ad inteſtina oriri non videtur: nam hujus rei nullum præbet indicium ſtatus pulſus, caloris, vel cujuspiam alius rei. In ſummam igitur, hunc morbum, ut præcipue ex laxitate & irritabilitate inteſtinorum orientem, ſpectandum puto. Atque ne-

neceſſe eſt, ut curatio perficiatur medicamentis, quæ debitum tonum reſtaurare poſſunt, quæque ſimul eorum irritabilitatis diminuendæ poteſtatem habent. Poſterius conſilium citiſſime ſaltem medicamentis ſedativis adimpletur; atque hæc in hoc caſu felices effectus edere poterunt. Verum notandum eſt, tametſi, ut jam dixi, nullam hic peculiarem irritationem conſtanter adeſſe ſuſpicer, eam tamen pro re natâ generari poſſe; atque ex ſtatu jam deſcripto inteſtinorum ultro credere licet, notabilem diſpoſitionem ad aciditatem adeſſe, cujus etiam ſæpius manifeſta indicia apparuerunt.

Secundum hæc generalia principia jam uſurpata ſunt medicamenta diverſa; nam huic ægræ, ex quo admiſſa fuit, præſcripta fuerunt, Lignum Campechenſe, Succus Japonicus, & Rhabarbarum, ut adſtringentia, & tonica; Magneſia, ut abſorbens; Laudanum Liquidum, ut ſedativum. Hæc omnia effecerunt, ut ægra ſeſe melius haberet, ſaltem ad tempus; atque veriſimiliter efficaciora adhuc fuiſſent, ſi ea abſque intermiſſione ſumpſiſſet. Hoc autem neglecto, poſtquam ejus morbi vis aliquantum remiſit, gravem rurſus ſymptomatum recurſum paſſa eſt. Sed poſtea, uſu Rhei, cum Laudani Liquidi pauxillo conjuncti, iterum magnopere allevata ſunt: Et, ſi convaleſcere pergit, hoc medicamentum non mutabo.

Si vero Diarrhœa adhuc obſtinata permanſerit, in animo eſt, huic ægræ medicamentum dare, parum a me uſurpatum, Gummi ſcilicet Kino, vegetabile adſtringens, quod in plerisque nuper editis pharmacopœis non memoratur; ac, quod mihi mirum videtur, etiam non invenitur in pharmacopœa *Suecica*, quæ mihi omnes huc usque in lucem editas pharmacopœas antecellere videtur. Verum fidelia experimenta, in Obſervationibus Medicorum *Londinenſium* a Cl. FOTHERGILL relata, fecerunt, ut in Pharmacopœa *Edinburgenſi* ſit receptum: ac cum ex eo ſatis elegans parari poſſit tinctura, mihi in animo eſt, hanc ejus formulam experiri. Si tamen hoc etiam irritum fuerit, in hoc caſu Corticem Peruvianum, exiguâ opii quantitate adjectâ, adhibebo: atque ex horum conſiliorum aliquo bonos effectus orituros ſpero. Notandum tamen eſt, in curando hoc morbo, multum ex aſſiduâ cauſarum excitantium evitatione pendere; frigus v. g. inducendo determinationem ad inteſtina, vel acris materia ſuſtentando in iis irritationem, omnia fruſtrarentur conſilia. Puto igitur, curationem hic pendere ab attentione & aſſiduitate ægræ, magis quam ab ullâ methodo, quam adhibere poſſumus.

Sequela.

Ex uſu mixturæ cum tinctura Rhei Diarrhœa multum minuebatur; & haud multo poſt hæc ægra, nullo alio medicamento tentato, ex Valetudinario dimiſſa fuit.

CA-

CASUS XVII.

Obſervationes de Gonorrhœâ Venereâ, cum examine, num ex eadem materiâ contagioſâ, quæ Syphilidem producit, Gonorrhœa pendeat, an ex aliâ diverſi generis?

D. R. Quadrageſimum tertium ætatis annum agens, 25to Martii 1777, in valetudinarium admiſſus, ex urethrâ materiæ albidæ, & viscidæ, evacuationem patitur. De magno etiam urinæ ardore queritur; & levi afficitur phymoſi; inflammatio autem, quæ eam comitatur, admodum exigua, & parum aucta eſt præputii denſitas: præterea ſæpe laborat ſtranguriâ. Pulſus calorque naturales. Alvus adſtricta.

Duæ circiter ſeptimanæ elapſæ ſunt, ex quo evacuatio incepit: dehinc cætera ſupervenerunt ſymptomata.

Contagio venereo morbum ſuum acceptum refert, ignarus temporis articuli, quo primum affectus fuit.

Nullum adhibuit medicamentum præter lene catharticum, ex quo ſe aliquod levamen accepiſſe exiſtimat.

℞. Pul-

℞. *Pulveris Salis nitri,*
——— Gummi Arabici, ſingulorum ſcrupulum unum. M. fiat Pulvis quater in die ſumendus.

Die 5to Aprilis. Evacuatio adhuc adeſt: ardor urinæ plerumque idem eſt, ac antea; & inflammationem, & intumeſcentiam ad ſummum penem auctas eſſe putat.

Continuetur Pulvis Nitroſus, ut antea, ſed capiat cras mane, Salis Glauberi drachmas decem, in aquæ ferventis unciis ſex ſolutas. Et iterum repetatur talis doſis mane die Jovis.

Die 12mo Aprilis. Salia bene ſcopum attigerunt, & intumeſcentia cum inflammatione in ſummitate penis magnopere diminuta fuit. Minorem etiam ſentit urinæ ardorem; evacuatio tamen adhuc durat.

Intermittantur medicamenta, & capiat omni veſpera, & mane, pulveris Corticis Peruviani ſemidrachmam.

Die 19no Aprilis. Evacuatio multum diminuta eſt, ex quo Corticem Peruvianum ſumere cœpit, & nunc non niſi levem urinæ ardorem percipit.

Continuetur Cortex Peruvianus, ut antea.

Animadverſiones in hunc caſum die 23tio Aprilis propoſitæ.

De morbo, quo æger hic afficitur, nullus reſtat dubitandi locus. Manifeſtum eſt, eum, quando noſtræ ſe curæ commiſit, laboraſſe Go-

Gonorrhœâ virulentâ, vel eâ peculiari evacuatione, quæ ſequela venereæ contagionis eſt. Hæc, in caſu hoc, ſimpliciſſima, absque morbi alius cujusvis ſignis, apparuit; &, ſi nunc haud penitus ſit ſanata, ita tamen allevata eſt, ut parum amplius incommodi ſentiat. At non ideo aſſerere auſim, evacuationem adhuc per aliquod tempus non duraturam; verum opinor, nihil obſtare, quominus felicem prognoſin prædicere poſſemus; &, ſi plura non apparuerint phænomena, ulteriorem curam ſupervacuam fore exiſtimarem; vel ſaltem poſthac tantum opus fore, ut æger ſuimet curam gerat, debitâ quoad regimen cautelâ adhibitâ.

In tractando hoc morbo haud multa adhibui medicamenta, eaque præcipue ad ſymptomata mitiganda dirigebantur; quamvis credam, eorum nonnulla ad curationem radicalem tetendiſſe; morbi tamen ſublevationem, ut naturæ opus, conſidero. Hanc, videtis, curandi methodum prorſus alienam eſſe ab ea, quam in Syphilide adhibere oporteret: & hoc nos apprime ducit ad expendendam quæſtionem, quatenus Gonorrhœa & Syphilis habendæ ſint, uti in genere huc usque factum eſt, ut ejusdem morbi modificationes.

Nuper disceptatum eſt, utrum genus humanum, uni tantum morbo venereo, vel duobus diverſis, obnoxium ſit? Hujus quæſtionis ante aliquod tempus perfunctorie mentionem feci,

ſed,

ſed, quod tantum tunc temporis potui, capita ſolummodo notavi generalia, quæ controverſiæ baſin conſtituunt. Spero tamen, haud neceſſarium fore, veniam rogare, quod nunc fuſius, quæ hac de re eo tempore dixi, exponam; præſertim cum hæc quæſtio talis ſit, ut non meræ ſpeculationi anſam præbeat, ſed magnam in praxi habeat utilitatem; & ſi, morbos inter ſe revera differre, veriſimile eſſe probavero; hæc ad minimum ſolamini erit laborantibus genuinâ Gonorrhœâ cogitatio, non inde ſe Syphilidi obnoxios eſſe. Longe quidem a me abeſt, ut crederem, ea, quæ de hoc propoſito dicere poſſem, morbos vere inter ſe diverſos eſſe, ſatis evidenter probatura. Sed fatendum eſt, hanc ex duabus opinionibus mihi magis arridere; & nunc argumenta vobis communicabo, quæ me impulerunt, ut hanc ſententiam amplecterer; in anteceſſum vero, quæ ad contrariam opinionem ſuffulciendam prolata ſunt recenſere, & deinde conari refellere, vel ſaltem infirmare, opus eſt.

Ad ſtabiliendam opinionem, quæ ponit, idem eſſe virus Gonorrhœæ & Syphilidis, multa afferuntur argumenta; ſed quatuor ſequentia ea ſunt, quæ maximi eſſe ponderis exiſtimantur.

1mo Obſervatur, Gonorrhœam & Syphilidem, plerumque ſequelas eſſe ejusdem cauſæ remotæ, concubitus ſcilicet cum muliere infecta.

2do Aſ-

2do Aſſeritur, ægrum ſemel tantum contagioni expoſitum, ambobus laborare poſſe morbis.

3tio Ponitur, unum ab eadem muliere, & eodem tempore, Syphilidem contracturum, alterum vero Gonorrhœam.

Et 4to contenditur, morbum a Gonorrhœa incipientem, incongruo medendi modo, in Syphilidem degeneraturum.

Hæc argumenta, primo aſpectu, valde probabilia videntur, &, ſi tam bene ac quidem ex earum, hic datâ, propoſitione apparet, eſſent fundata, illam doctrinam, quæ utrumque morbum ex eadem materiâ contagioſâ pendere ſtatuit, neceſſario ſtabilirent; verum accurato eorum habito examine, nullatenus, ut opinor, æque ac vulgo exiſtimatum fuit, certa invenientur. Etiamſi concedam ex illis quædam ſtrictim eſſe vera, haud inde tamen ſequitur, materiem Gonorrhϕæ & Syphilidis eandem eſſe: &, quod cætera ſpectat, fallaciæ ſaltem locum eſſe relictum, haud denegabitur. Ut autem hoc probetur, neceſſarium eſt, ſingula minutius percurrere.

Utrumque morbum, in plurimis ſaltem caſibus, ab eadem cauſâ remotâ provenire, non dubitari poteſt; & in viris, plerumque, ſi non ſemper, ut ab aliqua muliere, contagione infectâ, proveniens, conſiderari poteſt; hoc tamen nullo modo ſatis probat, utrumque ejuſdem eſſe naturæ; nam hoc inde ſolummodo forſan

ſan evenit, quod uterque morbus in genitalibus præcipue ſedem habeat.

Sed non magis præter naturam eſt, ſupponere, hæc organa inprimis, a duabus diverſis materiæ contagioſæ ſpeciebus, potius quam ab unicâ, affici poſſe; neque hoc fortius argumentum eſt, ad probandum, eandem eſſe materiem Gonorrhœæ & Syphilidis, quam ſi allatum fuiſſet, ad probandum, eandem eſſe materiem Variolarum & Pſoræ. Dum etenim priores duo morbi proſapiam ex contactu genitalium ducunt, duo poſteriores præſertim ex contactu ſuperficiei corporis oriuntur.

A cauſâ igitur remotâ nihil amplius colligi poteſt, niſi Gonorrhœam, & Syphilidem, contactus eſſe effectus; &, cum aliter, quam per genitalia, materies contagionis applicatur, Syphilidi, & Gonorrhœæ, producendis par eſt. Ubicunque enim materia ſyphilitica abſorbentibus vaſis rite applicatur, ut lactando infantem lue affectum, vel vulnerando digitum in bubone aperiendo, & variis aliis modis, accidere poteſt, Syphilis generatur. Raro, niſi per genitalia, Gonorrhœæ materies applicatur. Sed ad hanc rem probandam, varia etiam exiſtimo eſſe facta, quæ vix in dubium revocari poſſunt.

Juvenis quidam eruditus, in hac Academiâ ſtudia proſequens, duodecim circiter abhinc annis, plus ſemel inoculatione in ſe ipſo Gonor-

rhœam

rhœam produxit, materiâ ſcilicet contagioſâ urethræ aperturæ ſtilo applicitâ; & præterea obſervatum eſt, materiem Gonorrhææ, aliis glandulis mucoſis applicitam, evacuationem ex iis producere, ei ſimilem, quæ ex urethræ glandulis profluit.

Hoc, ut puto, ſatis confirmatum eſt facto quodam, quod in hac urbe, aliquot abhinc annis, occurriſſe bene compertum habeo. Juvenis, Gonorrhæâ laborans, ſudario per breve tempus uti cogebatur, ne induſium fœdaretur; aliis vero poſtea adhibitis linteis, ſudarium imprudenter in ſaccum miſit, & de eventu parum anxius eo ad naſum emungendum uſus eſt. Indè male habebant nares, quarum glandulæ mucoſæ morbo afficiebantur, Gonorrhœæ omnimodo ſimili.

Ex his igitur patet, argumenta, de quibus jam agitur, nullatenus eſſe certa, & ſimilitudinem cauſæ remotæ nihil aliud probare, quam quod uterque morbus contagionis ſit effectus.

2do. Ad probandum, eandem eſſe in utroque morbo materiam, contenditur, ex unico tantum cum muliere infectâ concubitu ambos frequenter provenire. Hanc aſſertionem abnuere non auſim; ſed longe abeſt, ut probaret, materiem eandem eſſe: imo e contrario omnino quadrat opinioni, quod diverſi ſint, nam ſi mulier utroque morbo laborat, quod ſæpe locum habet, vir etiam utrique æque expoſitus eſt.

Haud magis itaque confirmat, easdem eſſe materias Syphilidis & Gonorrhœæ, quam Syphilidis & Variolarum, ſi ab unâ ſimul communicarentur; & nullum eſt dubium, quin hoc ſæpius acciderit.

Nemo tamen inde exiſtimaret, ullam eſſe inter hos morbos ſimilitudinem; &, ſi illius materiæ, quæ luem veneream generatim communicat, conditionem expendamus, & ſupponamus, hos morbos ab invicem differre, nullo modo mirum videri poteſt, utramque infectionem eodem tempore propagari.

3io. Ad hanc hypotheſin ſtabiliendam, contenditur, ab eadem muliere, unum Syphilidem, alterum vero Gonorrhœam contracturum. Multa hujusmodi narrantur exempla, &, primo adſpectu, argumentum tale probabile videtur. Verum accurato inſtituto ſcrutinio, invenietur, multo rariores eſſe tales caſus, quam vulgo exiſtimatur. In plerisque nimirum parum certi eſſe poſſumus, unde nata ſit infectio. Noviſſimo quidem cum ſuſpectâ concubitu fere ſemper accepta refertur; ſed, cum ad horum morborum furtivam naturam attendimus, magnum hic eſſe errori locum apparebit. Nam bene notum eſt, Syphilidem, plurium ſæpe menſium a receptâ contagione intervallo, ſeſe prodere; & idem aliquoties circa Gonorrhœam locum habuiſſe novi. Aliquot abhinc annis mihi contigit, tractare

vene-

veneream Gonorrhœam, cui ne vel minimum quidem ſymptoma Syphilidis erat conjunctum, & quæ elapſis quatuor menſibus, poſt acceptum contagium, primo tandem apparuit. Ex his ergo dubitandi locus eſt, num hoc argumentum, etiam cum certiſſime aſſeritur, bene ſit fundatum.

Sed, etiamſi concedatur, duos diverſos morbos ſic poſſe duobus viris ab eadem muliere communicari, hoc tamen nihil probat; nam nullo modo cum ſuppoſitione diverſarum materierum pugnat. Æque veriſimile eſt, mulierem affectam fuiſſe utroque, ac unico tantum, morbo; &, quod ſingulis ſingulum communicavit, haud abſurdum eſt ſupponere: ſi etiam Pſorâ laboraſſet, tertius hoc contagio affici, quartus ſine ullo morbo evadere, dum quintus omnes tres contrahere, potuiſſet.

Quamvis igitur admittatur, exempla, quibus hoc adſtruitur argumentum, non raro vera eſſe; haud omnino tamen materias Syphilidis & Gonorrhœæ, ejusdem eſſe naturæ probat.

Argumentum quartum, & ultimum, cui mihi reſpondendum eſſe videtur, hoc eſt, quod morbus, qui a Gonorrhœâ orditur, perperam tractatus, in Syphilidem converſus fuerit. Si hoc confirmaretur, materiei in utroque ſimilitudinem, absque dubio, probaret; & multos forſan videbitis Practicos, qui hoc ſe vidiſſe affirmabunt. Verum hic major eſt, quam vulgo

creditur, deceptioni locus; & talibus deceptionibus aſſertio hæc niti videtur. Plerumque adſcribitur hic effectus adſtringentibus, in initio morbi injectis; neque negandum eſt, ex horum ſiniſtrâ adminiſtratione ſæpe malas provenire ſequelas. In quibusdam caſibus magnas, & pertinaces, inflammationes producunt. In aliis, id, quod frequentius accidit, teſtis intumeſcentiæ anſam præbent. Neutrum vero horum phænomenorum ſymptoma Syphilidis habendum eſt, ſed tantum inflammationis effectus, ſubitâ circulationis mutatione inductus; & idcirco regimini, & remediis antiphlogiſticis, hi morbi cedunt. Negandum certe non eſt, Syphilidem aliquando Gonorrhœæ ſucceſſiſſe; ſed hoc tam ſæpe accidit, quando Gonorrhœa maximo cum judicio, & cautelâ tractata eſt, quam quando cito eſt curata. Nec, ad hoc factum explicandum, neceſſe eſt, ut duo morbi ex eadem materiâ pendeant, cum facile explicari poſſint, ponendo ægrum contagio utriusque hujus morbi fuiſſe correptum, ita tamen ut unius contagium ſe aliquamdiu non manifeſtaverit. Hoc, ut jam obſervavimus, ſæpe accidit, quando unus tantum morbus communicatur.

Hæc opinor præcipua eſſe argumenta, quæ ad ſuffulciendam ſententiam, materiam nempe contagioſam Gonorrhœæ & Syphilidis ejusdem eſſe naturæ, adducuntur; & ex eorum examine ap-

apparet, nullatenus juſte tantam, ac vulgo ſit, iis fidem habendam eſſe.

Poſtquam igitur conatus ſum refellere, vel ſaltem infirmare hujus hypotheſis argumenta, jam ad ſecundam hypotheſin conſiderandam venio, qua materiam Syphilidis & Gonorrhœæ, revera & eſſentialiter differre, contenditur.

Argumenta, ad hanc hypotheſim confirmandam allata, ex variis profluunt fontibus, ſed præſertim ex ſequentibus.

1mo. Ex progreſſu duorum horumce morborum in diverſis regionibus.

2do. Ex phænomenis, quæ exhibent.

3tio. Ex curandi methodo, qua ſingulis promptiſſime medemur.

1mo. Duorum morborum hiſtoria multas continet circumſtantias, quæ opinionem, eos pendere ex materiis eſſentialiter diverſis, ſtabiliunt. Hoc præcipue apparet ex eorum in *Europâ*, & aliis, in quas illati ſunt, regionibus progreſſu. A plurimis conceditur, ambos hosce morbos, ſive revera iidem ſint, ſive naturæ diverſæ, recenter in *Europâ* apparuiſſe. Nuper quidem tractatus eruditus ſcriptus fuit a Cl. SANCHES, uno ex Medicis Imperatricis *Ruſſiæ*, ad probandum, ex *Americâ* morbum venereum non tranſlatum fuiſſe. Sed, quidquid etiam ad contrariam ſententiam ſtabiliendam attulerit, firmiter huc usque credo, Syphilidem

& Gonorrhœam, non niſi poſt *Americam* detectam, cognitas fuiſſe.

Primum morborum venereorum in *Europam* ingreſſum eruditiſſimus ASTRUCCIUS, majori cum labore, quam ullus alius auctor, ſcrutatus eſt, ſummâque curâ hac de re omnia, quæ potuit, collegit. Auctoritate igitur tanti viri aſſero, utrumque morbum in *Europâ* ſimul non apparuiſſe; ſed Syphilidem multos ante notam Gonorrhœam annos obſervatam fuiſſe.

Id autem, quod etiam notari meretur, non in *Europâ* tantum locum habuit, ſed etiam in aliis orbis partibus, in quas ex *Europâ* Syphilis illata fuit. Syphilis, exempli gratiâ, cito in *Chinam* importata eſt; ſed auctoritate Cl. ASTRUCCII, Gonorrhœam eo, quo ſcripſit tempore, recentiſſimum in illo imperio morbum eſſe, aſſero. Veriſimiliter hic morbus, cum minus ſit pertinax, & navigatio illuc admodum longa ſit, antequam eo laborantes in illam regionem advenerant, plerumque ſanatus fuit; vel ſaltem, quamvis ſtillicidium aliquo gradu, adhuc aderat, virulentia fuit ſubacta.

Hæc præterea obſervatio adhuc recentior confirmat; illationem volo morbi venerei in inſulas, in mari Auſtrali nuper inventas, præſertim in inſulam *Otaheite* dictam. Bene notum eſt, ibi Syphilidem incognitam fuiſſe, usquedum illas inſulas nuper quidam navigatores viſitarunt, atque adhuc ſub judice lis eſt, utrum a *Gal-*

a *Gallis*, an ab *Anglis*, primo propagatus fuerit, nam eas ſub idem fere tempus uterque populus adiit, & alter alterum hujus mali auctorem habet. Verum quisquis fuerit, qui morbum invexit, hoc ſaltem patebit, unicum tantum morbum illatum fuiſſe. Certior quippe factus ſum a generoſo viro, cujus accuratæ attentioni fides haberi poteſt, & qui præfectum Cookium in noviſſimâ ejus navigatione ad eam inſulam comitatus eſt, Gonorrhœam eo tempore incolis adhuc ignotam fuiſſe: hoc tamen vix potuiſſet evenire, ſi uterque morbus ab eâdem materiâ contagioſâ penderet.

Ex progreſſu igitur horum morborum variæ res colliguntur, quæ favent ſuppoſitioni, peculiarem contagioſam materiem utrique gignendo neceſſariam eſſe, & infectionem alterum generantem alterum non generaturam.

Secunda argumentorum ſeries a morbi phænomenis deducitur. Inter hæc varia notantur peculiaria, ex quibus aſſumi poteſt, naturâ differre materiem Syphilidis & Gonorrhœæ. Syphilidis neglectæ violentia continuo augeri obſervatur; &, niſi arte ſubigatur, in univerſum nullum habet terminum, præter ægri mortem. Gonorrhœa vero nequaquam ſic ingraveſcit; imo e contrario hæc, certo finito ſtadio, naturâ tendit in ſanationem; & in multis caſibus, ſi modo æger temperanter vivit, cauſasque, inflammationi faventes, evitat, natura

cito curam perficiet. Multi Medici de hac re adeo ſunt convicti, ut medicamenta hoc in morbo ſuperflua putent, vel ſolummodo talia præſcribant, quæ ægrum delectant, & occupant. Multum tamen abeſt, ut pro talis praxeos æquitate magnopere certarem; quorundam quippe remediorum uſum multis in caſibus ſummi eſſe momenti ratum habeo, attamen concedendum eſt, ea in aliis negligi poſſe, ſine aliquo magno periculo, & generatim ex eorum neglectu nihil aliud ſequitur, niſi quod, quæ jam adſunt, ſymptomata moleſtiora, & diuturniora, reddantur. Nullum itaque reſtat dubium, quin hi morbi, quoad progreſſum, eſſentialiter inter ſe differant.

Secunda, quæ occurrit in morborum phænomenis, notabilis circumſtantia, differentiam demonſtrans hæc eſt, quod Syphilis nunquam non Syphilidem, & contagioſa materies Gonorrhœæ æque conſtanter Gonorrhœam, gignat.

Jam antea quidem obſervavi, materiam, infectionem vulgo propagantem, nobis plerumque ignotam eſſe. Pauci ſunt tam temerarii, ut ſe, quando certo ſciunt, unum, vel alterum, morbum adeſſe, illi exponerent; ſed, quando poſtea innoteſcit morbus ejus, qui contagionem propagavit, in genere obſervatur, ſive Syphilis, ſive Gonorrhœa ſit, eandem alteri eſſe communicatam. Pro certo aſſeruit Boerhaavius, ſe nunquam Syphilidem ab ali-

qua,

quo, Gonorrhœâ tantum laborante, communicatam noviſſe; & hanc ille rem forſan tam accurate, quam ullus alius, vel ante, vel poſt eum, obſervavit. In univerſum, æque certum eſt, Gonorrhœâ Gonorrhœam propagari, ac Variolas dare Variolas. Nullus ex eo, quod bubonem aperiens digitum vulneraverat, nulla, ex eo, quod infantem, Syphilide laborantem, lactavit, unquam Gonorrhœâ inficiebatur. Præterea nunquam ſymptoma quodvis Syphiliticum apparuit, quando Gonorrhœa contracta fuit inoculatione, vel materie de induſtriâ, experimenti cauſâ, orificio urethræ applicitâ. Videtur ergo uterque morbus peculiaris contagii uniformis eſſe ſequela, &, de illius naturâ certiores facti, de futuro etiam morbo certi eſſe poſſumus.

Tertium ex phænomenis argumentum, diverſam duorum morborum materiem confirmat, & deducitur ex eo, quod morbi tam frequenter ſeparati manent. Concedendum quidem eſt, eos multoties eſſe conjunctos; in plurimis tamen caſibus alter ſtadium ſuum ſine minimâ alterius ſpecie excurrit. Aliquando dictum eſt, Gonorrhœam in Syphilidem mutatam eſſe; ſed nunquam aſſertum fuit, Syphilidem in Gonorrhœam fuiſſe converſam. Jure autem tale quid exſpectaretur, ſi eadem eſſet materies contagioſa, certiſſimeque videretur vis materiæ Syphiliticæ, ſi revera unamquamque corporis

partem afficit, in pene, ſi hoc membrum impeteret, Gonorrhœam productura. Hoc vero non obſervatur; & hinc, cum in tali caſu tanta detur ratio credendi, eam eſſe applicatam, concludendum eſt, illius naturam ab eâ differre, quæ Gonorrhœæ originem præbet.

Dictum quidem eſt, in caſibus quibusdam a Syphilide Gonorrhœam oriri; verum varia enumeravi, quæ faciunt, ut hac de re ambigatur; & ſaltem verum eſt, non niſi pauca quædam eſſe exempla, in quibus hoc accidiſſe dici poteſt: præſertim ſi juſtos limites ſtatuamus genuina Syphilidis ſymptomata inter & teſtium intumeſcentiam, ac ſimilia ſymptomata, quæ tantum ſunt evacuationis impeditæ ſequelæ, nequaquam venerea. Si vero, materies contagioſa in duobus morbis ejusdem eſſet indolis, exempla alterius ab altero provenientis, nec tam rara, nec tam ambigua, forent; & ſemper Gonorrhœam Syphilis ſequeretur. In unaquaque Gonorrhœâ labes contagioſa innumerabili vaſorum abſorbentium multitudini in penis glande applicatur. At certum eſt, maximâ ex parte nullum inde derivari incommodum; imo in nonaginta novem ad minimum ex centenis caſibus nulla apparet Syphilis. Hoc autem ſolummodo ex duarum ſequentium cauſarum alterâ oriri, conjicere licet: vel nempe materies inepta eſt, quæ abſorbeatur, vel abſorpta evadit innocua. Utram vero amplectamur

mur ſuppoſitionem, concludere debemus, materiem Syphilidis & Gonorrhœæ eſſentialiter differre.

Tertia, ultimaque, argumentorum ſeries ea eſt, quæ ex medendi methodo deducitur. Certum quippe eſt, remedia, quibus alter debellatur, naturâ prorſus differre ab iis, quæ alteri medentur. Olim quidem Mercurius in quolibet utriusque morbi caſu exhibebatur; & forſitan, quando aliqua datur ſuſpicio, labem Syphiliticam eodem cum Gonorrhœâ tempore communicatam eſſe, hæc methodus eſt prudentiſſima. Sed certo certius eſt, ad genuinam Gonorrhœam curandam, Mercurium haud neceſſarium eſſe, &, num utilis ſit, etiam dubitatur. Sanatio ſimplicioribus medicamentis citius perficitur.

Ex unâ parte, nulla adeſſe poteſt dubitatio, quin medendi methodus, quæ Gonorrhœæ removendæ convenit, nullatenus venerei morbi curationi congrua ſit, & ex alterâ, quin methodus Syphilidi medendi, Gonorrhœæ ſubigendæ non ſit accommodata. Indubitatum hujus rei teſtimonium exhibent, qui tam infelices ſunt, ut ſimul ambobus hisce morbis laborent. Quando ſic ſe res habet, frequenter præſcribuntur ea, quæ ad Syphilidis curationem neceſſaria ſunt, cum hæc ſit morbus, ex quo maximum imminet periculum, & qui paulatim majorem incutit terrorem. Hac methodo Gonorrhœa

rhœa quidem plerumque imminuitur; ſed hæc imminutio non major eſt, quam fuiſſet, ſi eodem temporis ſpatio obſervatum eſſet regimen antiphlogiſticum. Gonorrhœæ quoque cura nullatenus eâ procedit ratione, quâ, Mercurii ope, ulcera venerea ſanantur, bubones reſolvuntur, cæteraque evaneſcunt ſymptomata Syphilitica. Præterea virulentiſſima Gonorrhœa immutato curſu progredi, vel etiam vehementior fieri obſervatur, dum magnâ copiâ Mercurius exhibetur, ejusque uſui ſymptomata Syphilitica cedunt. Sic, itaque, nullum relinquitur dubium, quin morbi, ſaltem quoad curandi methodum, non conveniant; & concedendum eſt, hoc haud exigui ponderis argumentum ſuppeditare, eos a materiis contagioſis indolis eſſentialiter diverſæ oriri.

Ex omnibus his argumentis ſimul ſumptis credendum mihi eſt, hanc opinionem, quam jam defendere conatus ſum, ad minimum quodammodo probabilem eſſe.

Longe tamen a me abeſt, ut exiſtimarem, obſervationes, quas jam protuli, convictionem ſecum ferre. Eas ſcopo futuræ indagationis potius offero, quam ut fundamentum extemporalis concluſionis habeo, & mihi jucundum erit, ſi vos ad accuratum hujus rei examen impulerint: opinor enim, hac ſolâ via controverſiam hanc ad finem perduci poſſe.

At mihi, ut jam dixi, hac quæſtione ab omni

ni parte perpenſâ, morbi eſſentialiter diverſi videntur; & hāc opinione in caſu, de quo nunc agimus, nitebatur praxis. Proxime igitur ſequitur, ut nonnullas ſubjungamus animadverſiones; &, cum veriſimile ſit, ægrum ipſum haud ultra nobis ſe videndi copiam daturum, quæ jam occurrunt, trademus.

Antequam hic æger noſtræ ſe curæ tradidit, morbus duas prope ſeptimanas duraverat; & idcirco tentare non poteram methodos, quæ, diſſolvendo mucum, cui contagioſa materies adhæret, vel eum auctâ ſecretione eliminando, agere creduntur; nam eo tempore, quo in valetudinarium admittebatur, morbi hujus inflammationis ſtadium jam ad 'ακμὴν prope perveniſſe credi poterat. Hæc idcirco mitiganda, primum, & præcipue, videbatur. Talis vero fuit ſymptomatum conditio, ut in hunc finem magnæ non requirerentur evacuationes; & præterea etiam puto, quo magis evacuantia medicamenta, in ſtadio inflammatorio, evitari poſſunt, eo minus eſſe periculum ſtillicidii, magnum temporis ſpatium duraturi.

Hanc ab cauſam, primo nec venæſectionem, nec purgantia, adhibui. Sed præter regimen antiphlogiſticum, diluentia, & refrigerantia, tantum præſcripſi, medicamenta. In hunc ſcopum, pulveribus ex Nitro, & Gummi Arabico, in illum vero ſeminum Lini infuſo, uſus ſum. His ſperavi, quadantenus circulationis im-

impetum minuere: verum credebam etiam ea majores adhuc præſtitura effectus in ardore urinæ obviam eundo, & hoc modo ſtranguriam, ſymptoma moleſtiſſimum, ſedatam fore. Nam credidi, eam ſolum eſſe effectum ſtimuli partibus, quarum ſenſibilitas aucta fuit, appliciti; & talem ſenſibilitatem imminutam iri exſpectavi, ſi urinæ acrimonia viribus Gummi Arabici & ſeminum Lini demulcentibus obtunderetur. Verum majora adhuc commoda prævidi ex augmento partium aquoſarum, ratione ſalinarum, uſu diluentium interno, & qualitate Nitri diuretica.

Hujus tamen praxeos effectus haud penitus votis reſponderunt; &, cum ad nos rediret, talis fuit inflammatio, ut opus eſſe judicarem, corpus cathartico evacuare. Hunc in finem, ex refrigerantibus elegi Salem Glauberi, utpote cujus operationem certiſſimam eſſe puto; & eo, continuatis tamen medicamentis prioribus, ſymptomata inflammationis cito abierunt. Cum vero nullum ſymptoma cujusvis momenti, præter ſtillicidium, remaneret, vaſorum ſtatum maximam attentionem mereri, judicavi. Ad priſtinum autem vigorem organis urethræ ſecretoriis reſtituendum, ſæpe hujus ſyſtematis vires per ſe ſatis ſufficiunt; &, niſi evacuatio immoderata eſt, aut quando diutiſſime durat, parum forſitan agendum eſt. Quando remedia neceſſaria ſunt, multa ſunt in promptu. Inter hæc

po-

potentiſſima eſſe ſtatuo, balneum frigidum, & injectiones adſtringentes. Neutrum vero in caſu hoc neceſſarium eſſe judicabam; & idcirco Cortice Peruviano uſus ſum, qui, ut opinor, frequentius adhiberi tuto poteſt, & rite adminiſtratus notabiles producit effectus. Ex quantitate, quâ hîc datus fuit, haud magnam utilitatem ſperare poteram. Sed, cum in morbi initio datur, tantum neceſſe eſt, ut manu parcâ exhibeatur, nam absque dubio, diatheſi inflammatoriæ aliquatenus locum dat; & in temperamentis quibusdam ſingularibus, evacuatio tam cito hoc remedio compeſcitur, ut moleſta inde ſymptomata oriantur, præcipue teſtium intumeſcentiæ. Hac de cauſâ, eum ægro tantum in initio dedi drachmæ unius doſi ſingulis diebus, in animo tamen habens, modo circumſtantiæ vel deſiderarent, vel permitterent, poſtea quantitatem adaugere.

Haud magnâ fide aſſerere poſſum, Corticem Peruvianum notabiles hic bonos habuiſſe effectus; ſed, ad minimum, nihil effecit mali, & fatendum eſt, me diminutionem evacuationis, quæ cito poſtea ſubſecuta eſt, ei acceptam referre. Nunc credo, niſi æger ſemet imprudenter geſſerit, ejus morbum brevi, & feliciter, terminatum iri.

Sequela.

Neceſſarium non eſſe credidi, quantitatem Corticis

ticis Peruviani huic ægro datam augere; &, cum ejus ſymptomata evanescerent, e Valetudinario dimiſſus eſt.

CASUS XVIII.

Obſervationes de Hydrocephalo cranii.

A. R. in valetudinarium admiſſa die 11mo Aprilis 1777, tres prope annos nata, inſigni laborat cranii dilatatione, quæ monſtri ſpeciem exhibet. Caput, paulum ſupra oculos dimenſum, circiter viginti octo pollices in circuitu, ac ab unâ aure ad alteram, per ſuturam ſagittalem, ſedecim fere pollices æquat. Totus vertex mollis eſt, & elaſticus; nihilque os referens in ſpatio plurium pollicum circum circa ſentiri poteſt. Idem etiam tactu percipitur prope omnes ferme ſuturas, præcipue verſus occiput, circa angulum ſuturæ lamdoideæ.

Mater putat, eam & viſu prorſus orbatam eſſe. Admodum dilatatæ ſunt oculorum pupillæ, nec lucis ſtimulo in actionem excitantur, dum eodem tempore ſtrabismus prope conſtans adeſt.

Nec incedere, nec ſtare, poteſt, nec unquam voces diſtinctas pronunciare potuit: ſed non-

nonnunquam ejulatus inſolitos edit. Sæpe naſum fricare, atque dentibus frendere, obſervata eſt.

Pulſus ſupra centum vibrationes minuti ſpatio perficit; ſed cutis calor prope naturalis eſt; appetitus admodum magnus eſt; multumque bibit.

Duo, & plus, jam elapſi ſunt anni, ex quo febre impetebatur, quæ convulſiones graves comites habuit. Ab eo tempore obſervatum eſt, caput ſenſim adauctum eſſe, cæteraque ſymptomata ſupervenerunt. Cum naſcebatur, caput nihil inſoliti exhibuit. Mater vult ejus morbum ad febrem referre, nullamque aliam cauſam noſcit.

Varia medicamenta ad morbum ſanandum adhibita fuere, ſed absque ullâ imminutione molis capitis, vel aliorum ſymptomatum mitigatione.

Applicetur emplaſtrum veſicatorium inter ſcapulas, & poſtea fiat fonticulus ope unguenti epiſpaſtici; nec non

℞. *Tincturæ Jalappæ ſemunciam,*
Syrupi ſimplicis uncias duas. M. Capiat cochleare parvulum ſingulis ſemihoris, donec ſupervenerit catharſis: & repetatur hujusmodi doſis bis in ſeptimanâ.

Die 19no Aprilis. Veſicatorium multum aquæ evacuavit, ſed, etſi adhibitum fuerit unguentum epiſpaſticum, partes veſicatorio tentatæ jam perfecte ſanatæ ſunt. Mixturæ ope valide

purgabatur, & venter dein quotidie apertus manſit.

Applicetur iterum veſicatorium inter ſcapulas, ut antea; ſed intermittatur mixtura.

Animadverſiones in hunc caſum, die 3io Junii propoſitæ.

Hæc ægra, per aliquod jam tempus, in Valetudinarium non allata fuit, veriſimiliter ex eo, quod ejus domus aliquot *Edinburgo* millia paſſuum diſtat. Si aſſidue veniſſet, nobis, potius morbi progreſſum obſervandi, quam curationem perficiendi, occaſionem dediſſet. De morbi, quo laborat, naturâ nullus reſtat dubitandi locus. Nam ſimulac caput conſpiciebatur, diſpar ejus ratio cum reliquo corpore neceſſario vel negligentiſſimum obſervatorem attentum feciſſet; nam ad hanc intumeſcentiam facies manifeſto nihil confert, niſi quatenus per cranii oſſa formatur; pars autem capitis, quæ in ſtatu naturali cerebri tantummodo ſedes eſt, hic in immenſum adaucta fuit.

Licet hic morbus quotidie non occurrat, vix tamen in infantibus rarus eſſe dici poteſt, nam vel nunc etiam duorum aliorum, eo laborantium, in Valetudinario curam gerimus. In univerſum ejuſmodi tumores, poſt diſſectionem, non ex mole eorum, quæ cranio includuntur, morbo adauctâ, ſed ex hydrope, oriri reperiuntur; atque dubitari non poteſt, quin hic

hic caſus inſigne præbeat Hydrocephali exemplum.

Verum ſub hoc generali titulo diverſi comprehenduntur morbi, ac forſitan nullus eſt morbus, cujus ſymptomata plus mutantur a loco, quem aqua occupat. Practici in genere morbum dividunt in Hydrocephalum externum, & internum; ac ad hunc caſus referunt, in quibus aqua in ventriculis continetur; ad illum vero caſus, in quibus hæc extra cerebrum invenitur. Videmus tamen, in omnibus Noſologiæ ſyſtematibus, definitiones externo tantum reſpondere; ſi excipiamus definitionem Cl. SAGAR, quæ quidem admodum vaga eſt; nam tantum dicit, Hydrocephalum Hydropem eſſe capitis.

Omnes definitiones, quæ capitis dilatationem, ut ſymptoma morbi characteriſticum recenſent, nequaquam Hydrocephalo interno quadrant, eo ſenſu, quo hunc titulum accipiendum puto; & tamen hoc ſymptoma definitiones cæterorum Noſologorum ingreditur. Per Hydrocephalum internum morbum volumus, qui tam accurate a Cl. WHYTHIO deſcribitur, ut pauci, qui ejus opus aſſidue legerunt, eum non dignoſcere poterint, quum ad certum ſtadium pervenerit: tametſi in primis ſtadiis morbus ſit indolis fallaciſſimæ, ac forſitan dicere liceat, eum non, niſi nuperrime, innotuiſſe. Hujus rei eo lubentius mentionem facio, quod tituli

Hydrocephalus externus, & internus, alio, ac vulgo accipiuntur, ſenſu a Cl. Sauvagesio uſurpantur. Ad Hydrocephalum internum caſus refert, in quibus aqua intra cranium collecta, ut in caſu hoc, diſtendit, & laxat ſuturas: ad externum vero caſus, in quibus integumenta capitis ex parte anaſarcâ afficiuntur.

Ex diverſis his ejusdem tituli ſignificationibus multæ difficultates aliquando oriri poſſunt. Crederem, ſi morbus in tres ſpecies diviſus eſſet, id non ſolum confuſionem ſublaturum, ſed etiam quadantenus utile futurum, ſaltem in dandâ prognoſi. Hæ quidem, ſi modo ſtrictim loquamur, forſitan ut genera potius diſtincta, quam ut ſpecies, conſiderandæ ſunt: ad minimum, ſi, uti in aliis corporis partibus, a cavitate, in quâ aqua deponitur, genera conſtitui ſupponamus. His ſigillatim ſequentia nomina aſſignarem.

1. Hydrocephalus ventriculorum, quando aqua intra has cavitates effuſa eſt.

2. Hydrocephalus cranii, quando cerebrum inter & cranium ſedem habet.

3. Hydrocephalus integumentorum, quando prorſus extra cranium ſita eſt aqua.

Non dubitari poteſt, quin caſus, de quo jam agitur, ad ſecundam ſpeciem pertineat: &, licet tardius, quam prima ſpecies, progrediatur, non tamen minus eſt lethalis: imo etiam diſputatum eſt, num exemplum quidem unicum afferri

ferri poſſet ægri ſanati? Verum huic opinioni non aſſentior; nam mihi perſuaſum habeo, me plus ſemel vidiſſe ægrum, Hydrocephalo Ventriculorum laborantem, & poſtea ſanatum; & ſi hoc verum eſt, de ſimili eventu in Cranii Hydrocephalo deſperare nollem.

Nonnulli tamen fatalem indolem ultimæ etiam ſpeciei tam compertam habent, ut in eâ nihil tentandum eſſe admoneant, exiſtimantes, ita potius ægri mortem acceleratum iri. Noſter itaque caſus, ex ipſius mali naturâ, admodum periculoſus habendus eſt; atque procul dubio, caſus multo ſecundiores levem tantum ſpem curationis perficiendæ præbent; nam hic notandum eſt, morbum non ſolâ enormi capitis mole inſigniri; &, licet omnia non induxerit ſymptomata, quæ ab Hydrocephalo ventriculorum oriuntur, eorum tamen plurima adſunt, ſtrabiſmus ſcilicet, vel peculiaris oculorum diſtorſio, pupillarum dilatatio, cum jacturâ viſus.

Nullum dubium eſt, quin in hoc caſu, æque ac in ventriculorum Hydrocephalo, hæc ſymptomata cerebri compreſſi effectus ſint; & eidem cauſæ referre liceat multa alia, quæ in hoc caſu adfuerunt, phænomena, præcipue impotentiam pedibus inſiſtendi, defectum in vocibus diſtinctis pronunciandis, tametſi ægra jam ſecundum ætatis annum exceſſerit. Huc accedit, quantum in tam immaturâ vitæ periodo de mentis facultatibus judicari poteſt, eam

ſi non prorſus, ſaltem propemodum, fatuam eſſe; nam hoc, ut opinor, ſatis confirmant immanes ejulatus, quos aliquando edit. Ex his igitur, ſimul ſumptis, colligere licet, hunc morbum in ſtatu valde provecto eſſe; & ſane duos jam annos duravit.

Verum obſervandum eſt, me caſus noviſſe, qui longius temporis ſpatium duraverunt, capite etiam majorem in molem aucto; in quibus tamen eadem, ac in hoc, ſymptomata non apparuerunt; vidi certe puerum, qui provectior erat ætate, cujusque caput multo majus fuit, & qui tamen non ſolum articulatim loqui potuit, ſed etiam valde fuit garrulus. Igitur progreſſus morbi in functionibus abolendis major fuit in hoc caſu, quam pro ſpatio, per quod duravit, exſpectari poterat; ac niſi ſanatio, vel ſaltem levamen, obtineatur, vix ſperare licet, eam diu ferendo morbo parem futuram.

Præter ea, quæ jam memoravi, una res adhuc reſtat, cujus, in dandâ prognoſi in omnibus hujusmodi caſibus, ratio eſt habenda; cauſa, ſcilicet, ad quam morbus referri debet: ac, quod ad hanc attinet, judicium potius propitium eſſet. Sæpe morbus a nullâ manifeſtâ cauſâ provenit, & tunc eſt, cur timeamus, ejus originem in habitu corporis quærendam eſſe. Non tantum poſtquam natus eſt infans, aliquando hunc adoritur, ſed ſæpe etiam congenitus eſt; quod adhuc magis demonſtrat,

cum

eum aliquando in *ipſo* corporis habitu ortum habere. Sed in caſu hoc morbus nec congenitus, nec ſine obvià cauſâ, fuit: ſaltem adſcriptus fuit febri, & convulſionibus, quibus ægra duobus abhinc annis laboravit. Exinde obſervabatur caput gradatim adaugeri. Verum quidem eſt, de his credi poſſe, eas ſequelas eſſe primi morbi hujus inſultus; atque non dubitari poteſt, quin primum ſtadium Hydrocephali ventriculorum febrem habeat comitem. Sed, cum febris nunquam obſervetur ſymptoma eſſe Hydrocephali Cranii, inde concludere licet, rem in hoc caſu non ita ſe habuiſſe; &, cum hydrops in genere ſæpe febrem ſequatur, credere poſſumus hoc in caſu noſtro etiam contigiſſe. Sed, licet ponamus, morbum non congenitum, ſed a manifeſtâ cauſâ derivatum eſſe; & quamvis inde in aliis caſibus ſecunda prognoſis deduci poſſit, in hoc tamen caſu id minime convenit; nam, poſtquam ſymptomata, omnium principalium functionum læſionem indicantia, ſupervenerunt, ſanatio certe extraordinaria foret.

Non ideo tamen, ut opinor, omnia curandi conſilia negligenda ſunt; nam cenſeo, in deſperatiſſimis etiam morbis non oportere ægros deſeri, ſi modo tractari velint. In ejusmodi caſibus exiſtimo, Medico licere dubia etiam remedia experiri; &, ſi quando talia adhibere nollet, nullus forſitan caſus eſt, in quo conſi-

lia adoptari nequeant, quæ, ſine periculo gravis cujuspiam ſequelæ, levamen ſaltem afferre poterunt. Igitur, his poſitis principiis, de medendi methodo, quæ huic caſui convenit, protinus dicendum eſt.

Manifeſtum eſt, hic ut in aliis morbis hydropicis, ad duas generales indicationes reſpiciendum eſſe.

1°. Aqua jam in cranio collecta evacuanda eſt.

2°. Novæ accumulationi obviam eſt eundum.

Hic, ut in aliis caſibus, omnes diverſi modi aquæ evacuandæ ad duo capita referendi ſunt, ad naturales ſcilicet, & artificiales, vias. Priores procul dubio tutiſſimæ, poſteriores efficaciſſimæ ſunt. Per utramque aquam evacuare poſſumus, quicunque futurus ſit morbi eventus. Verum confitendum eſt, in hoc morbo quasdam ex methodis artificialibus admodum eſſe dubias. Inter has memorare licet perforationem cavitatis, qua continetur aqua, quæ omnium aliarum certiſſima eſt.

De hujus operationis uſu, neotericorum clariſſimi in ſententias valde contrarias abeunt. Alii de eâ loquntur, tanquam non ſolum periculo vacuâ, ſed etiam nunquam negligendâ. Alii vero eam conſiderant, ut modum certum ægri mortis accelerandæ. Hac de re ex propria experientia nihil proferre poſſum; nam nec

ipſe

ipſe unquam eam inſtituere juſſi; nec ſub alius auſpicio inſtitutam vidi. Verum agnoſcendum eſt, in ea me nullam ſucceſſus ſpem certam reponere: ad ſummum ab ea plus commodi exſpectare non licet, quam a punctura abdominis in Aſcite: aqua ſcilicet tantum evacuatur; ſed hæc operatio ejus recurſui non obſtat: imo adhuc diſceptatur, quatenus etiam in Aſcite punctura abdominis ſit utilis. Quidam ſane ex clariſſimis Medicis *Londinenſibus* maturam punctionem eximie nuper commendârunt; ſed bene compertum habeo, eos, qui eam antea quam maxime laudabant, nunc ei multo minus, quam olim, favere; dum alii, iique etiam clariſſimi viri eam in omni caſu prorſus condemnant.

Verum ſi evacuatio per hujusmodi viam in Ascite non admittenda eſt, multo adhuc minus in Hydrocephalo Cranii conveniet; nam bene notum eſt, in Ascite vel maximum incommodum ab ea oriturum, ſi debitâ compreſſione evacuatio non compenſatur. Hinc ante inventionem idonearum faſciarum, conſtanter præſcriptum fuit, omnem aquam non ſimul, ſed diverſis intervallis, educere: ac, ſi in Hydrocephalo operatio inſtituenda eſt, eadem regula eſt obſervanda. Nam hic Cranii oſſa compreſſioni adverſantur, vel, ſi ſuturarum intervalla eam admittant, tamen æquabiliter fieri nequit. Verum tamen, quum alia remedia irrita fuerint, malumque manifeſto ingraveſcat, hæ objectio-

nes non obſtare debent, quominus ad operationem, ut ad unicam, quæ reliqua eſt, ſpem ſalutis, recurratur; ac licet, cum tam levis ſpes ſit, non ſit imperanda, tamen, ut opinor, in tali rerum ſtatu proponenda eſt.

Pauci forſitan ſunt caſus, in quibus evidens ſymptomatum conjunctio eam manifeſtius, quam in hoc caſu requirit. Sed matris timor inſuperabile erat obſtaculum, & hanc ob cauſam tentare ſtatuimus, quid absque periculo per alias vias artificiales, vel naturales, effici poſſet. Per veſicatoria, præſertim cum in fonticuli ſpeciem continuantur, artificialis exitus paratur, qui non ſolum minorem incutit metum, ſed etiam revera minus eſt periculoſus. Ab his vel capiti etiam applicitis minus timendum, quam in Hydrocephalo integumentorum, plusque ſperandum, quam in Hydrocephalo ventriculorum, eſt. Hic tamen ea partibus capiti vicinis adhibere malui; dum etenim ita eadem fere commoda afferunt, minus perterrent.

Uſu unguenti epiſpaſtici evacuationem continuare ſtatui Sed, quamvis veſicatorium copioſam produxerit evacuationem, tamen hæc ab unguento epiſpaſtico non ſuſtentata fuit, fortaſſe quia non, ut par fuiſſet, adhibitum erat. Forſan tamen dubitari poteſt, num hinc aliquid incommodi revera ortum ſit, Nam æqualis, ſaltem admodum magna, evacuatio repetitis

tis veſicatoriis obtenta eſt. Talem igitur hic repetitionem imperavi; ſed tamen exinde de ejus effectu haud certior factus ſum. Verum præter veſicatoria mixturam, cum Tincturâ Jalappæ, ut acre catharticum, ad aquam per viam naturalem evacuandam, exhibui. Sed cum de hac in aliis caſibus dicendi copia erit, eam nunc ſilentio præteribo: ac non opus eſt, ut de methodis poſthac tentandis verba faciam; quum veriſimile ſit, nos ægram ultra non viſuros.

Hæc ægra ad Valetudinarium non reverſa eſt, & cum ejus domus multa millia paſſuum *Edinburgo* diſtaret, nunquam de morbi eventu certior factus ſum.

CASUS XIX.

Obſervationes de quodam caſu, in quo peculiaris morboſa Senſibilitas unius Manus occurrit.

F. R. Viri vigeſimum quartum ætatis annum agentis, in valetudinarium admiſſi die 15to Aprilis 1777, omnes ſiniſtræ manus digiti tam violento dolore exercentur, ut eos movere nequeat. Omnes palmam verſus incur-

curvantur; aſſeritque, vel leviſſimum eos extendendi tentamen graviſſimum dolorem excitare. Nec diſcolores ſunt, nec alio manifeſto vitio laborant, ſed vel leviſſimus tactus ingentem moleſtiam creat; ita ut, ad manum contra alia corpora tutandam, eam conſtanter magno ſacculo incluſam tenere cogatur: cæterum perfectâ ſanitate fruitur. Sed manus dolor eum ad quodvis munus obeundum prorſus ineptum reddit.

Duodecim abhinc menſibus, ictum ad os metacarpi medii digiti prope articulum, accepit, quem tunc ingens dolor, nullum autem vulnus ſequebatur; verum illum impedivit, quo minus per aliquod tempus digitos extendere poſſet; atque paucis menſibus ab acceptâ injuriâ, omnes digiti contrahi cœperunt, quo in ſtatu exinde permanſerunt.

Calidis fomentationibus, cum multis aliis remediis, ſine effectu, uſus eſt.

Habeat fotum electricum, per horæ quadrantis ſpatium, ter in ſeptimanâ; &, niſi inde vehemens dolor oriatur, eliciantur ſcintillæ electricæ e manu ſiniſtrâ.

Die 26to Aprilis. Aſſidue, poſtquam ad nos acceſſit, electrizatus fuit; ac ſcintillæ electricæ aliquem in manu dolorem excitarunt, qui tamen non diu manſit. Nunc digitos aliquantum movere poteſt; ſed adhuc manus ad tactum, ut antea, dolet. *Ani-*

Animadverſiones in hunc caſum die 6to Junii propoſitæ.

Hujus ægri caſus, nobis, ut opinor, morbi admodum ſingularis exemplum præbet. Fateor, me nunquam vidiſſe caſum, qui eum utique referebat; nec ei locum in ullo ſyſtemate noſologico aſſignare poſſum. Igitur, nullo dato nomine, aliquam probabilem ſententiam circa ejus naturam proferre conandum eſt.

Manifeſtum eſt, morbum hunc, qualiscunque ſit ejus indoles, prorſus localem eſſe. Siniſtram ſolummodo manum occupat, ibique unico tantum ſymptomate, dolore ſcilicet, notatur. Nam digitorum contractio, motusque defectus, quatenus nobis compertum eſt, ſolum ut ſequelæ conſideranda ſunt; quia ſimul nec tumor, nec ulceratio, nec inflammatio, nec ulla alia manifeſta cauſa adeſt, unde credere liceret, dolorem originem traxiſſe. Bene notum eſt, omnem dolorem effectum eſſe impreſſionum, quæ a ſenſibilibus nervorum extremitatibus ad eorum originem deferuntur: atque hæ impreſſiones diverſis modis variantur, præcipue conditione ſenſibilium extremitatum, vel fluidi nervei. His etenim ſe male habentibus, impreſſionis vis vel penitus aboletur, vel multum imminuitur; dum, ex alterâ parte, contrariâ conditione locum habente, multum intenditur; ita ut impreſſio, quæ plerumque levem, vel nullam, ſenſationem excitaret, nunc graviſſimum dolorem ac-

accerſat. Itaque, ſi ponimus, fluidum nerveum ita mutatum eſſe, ſingularem hujus ægri morbum, ut opinor, explicare poſſumus.

Irritatio, vel leviſſimo etiam tactu facta, vel minimus movendi conatus, facit, ut vehementi dolore afficiatur. De conſtanti etiam dolore queritur, veriſimiliter ex irritatione, quam ſanguinis circulatio, vel ſimiles cauſæ, nunquam non præbent.

Sed, dum talis ſuppoſitio hoc phænomenon quodammodo explicat, illud adhuc magis per morbi cauſam confirmatur. Non dubitandum eſſe puto, quin æger morbum ad ictum merito referat: qui ictus, licet non tam violentus, ut vulnus faceret, tamen tantum creavit dolorem, ut, per aliquod tempus, muſculorum flexuræ digitorum inſervientium actio impediretur; &, cum dolor absque interruptione maneret, ſenſibilitas cito ad hunc gradum adaugebatur, ut nunc timeat, ne manus vel leniſſime, & eminus, tangatur. Igitur, uti mihi videtur, parum dubii eſt, quin ictus, tametſi vulnus non fecerit, nervis ſubcutaneis injuriam intulerit; quapropter ut ſola morbi cauſa ſpectandus eſt. Itaque hunc caſum ex anomalis morbis generis nervoſi unum eſſe, puto, cui nullum nomen aſſignari poteſt; quique ex eo, quod peculiaris ſit, magis quam quod certis quibusdam ſymptomatibus ſtipetur, characterem induit.

Jam obſervavi, me nunquam vidiſſe caſum huic

huic omnino ſimilem. Verum JOANNA WILSON quæ hyeme ultimâ Valetudinarium frequentabat, nobis exemplum præbuit morbi, qui mihi videbatur ei quodammodo ſimilis. Illum quidem, propter mali ſedem, ad illud genus redegi, quod Noſologi *Dyſphagiæ* titulo diſtinguunt. Sed ibi, ut opinor, difficilis deglutitio prorſus ab auctâ ſenſibilitate oriebatur. quæ ſenſibilitas conſtantem moleſtiam, ut in hoc caſu, graviſſimumque dolorem ad tactum ſolidorum, inter deglutiendum, creavit.

Certior factus ſum de caſu, qui noſtrum adhuc magis refert; cujusque mentionem facit illuſtris Medicinæ Doctor in prælectionibus, quas *Londini* tradit. In eo, absque ullo evidenti morboſo ſtatu, ſimilis dolor in articulo ſecundo pollicis occurrebat; & leviſſimo tactu ſenſatio dolentiſſima oriebatur. Hic morbus infinitam fere remediorum varietatem eluſit; & vel inciſio nervi, pollicem adeuntis, non niſi doloris ſedem mutavit; nam poſt ſectum nervum dolor, non ad pollicem, ut antea, ſed paulum ſupra inciſionem, incepit.

Quinam tandem illius caſus eventus erit, ignoro. Verum, ſi aliquam conjecturam de hujus terminatione, ab eventu morbi, quo JOANNA WILSON laboravit, facere licet, propitium dare judicium non dubitarem; & agnoſco, me nihil hic magnopere timendum videre. Ægri ſtatum enim omnino gravem, ſed nequaquam

quam valde periculoſum, eſſe, puto. Equidem nervorum morbi, in univerſum, plus timoris, quam periculi, afferunt; in anomalis tamen caſibus nunquam magnâ fiduciâ prognoſin dare oportet; & difficile eſt dictu, quænam ſubitæ mutationes occurrere poſſint. Verum doleo, qualiscunque fuerit hujus morbi decurſus, nobis eum obſervandi veroſimiliter non fore occaſionem; nam æger jam deſtitit machinam electricam frequentare, &, ubinam habitet, ſcire non potui. Si tamen hac de re certior factus fuero, operæ pretium fore cenſebo, ad morbum attendere, tametſi illi perſuadere non poſſim, ulla amplius medicamenta tentare. Fateor tamen, me exiſtimare, morbum admodum pertinacem fore, niſi arte ſubigatur.

Antequam noſtræ ſe curæ commiſit, ejus morbus, parum mutatus, duodecim menſes jam duraverat, atque intra hoc tempus variis medicamentis reſtiterat. Non improbabile eſt, omnes noſtros ad illum ſanandum conatus, ſi ad nos iterum redierit, etiam irritos fore. Si tamen nos viſitare continuaſſet, ſaltem varia rite tentaſſem remedia, de quibus aliquid ſperandum eſſet.

Ex his, quæ jam de morbi naturâ dixi, ultro videbitis, me juſtam debitæ ſenſibilitatis nervorum reſtaurationem, ut præcipuam ſanandi indicationem, conſiderare. Nervorum ſenſibilitatem,

tatem, quando eos inter & ſenſorium communicatio non intercipitur, ex ſtatu ſenſibilium extremitatum eorum, vel fluidi nervei, pendere exiſtimo; ac, cum cenſeam, cerebrum non ex uno, ſed ex plurimis organis ſecretoriis, conſtare, credo etiam fieri poſſe, ut fluidum in uno nervo per morbum mutetur, dum in alio immutatum manet; ac porro, ab impreſſione, extremitati cujusvis nervi illatâ, ſecretionis ſtatum in illâ cerebri parte, quæ ei fluidum ſuppeditat, poſſe mutari; nam, in genere, impreſſiones, in nervi extremitate factæ, ſtatim ad ejus originem transferuntur.

Itaque, ſecundum hæc principia, adauctam ſenſibilitatem a cauſis jam memoratis oriri puto. Verum fortaſſe magis ex mutatâ conditione fluidi nervei, quam ſenſibilis nervi extremitatis pendet: ſaltem ita ſe rem habuiſſe in caſu, cui hunc comparavi, inde manifeſtum fuit, quod dolor poſt ſectum nervum, idque ſupra inciſionem, perſiſteret. Si igitur ponimus, hanc adauctæ ſenſibilitatis cauſam eſſe, juſtus ſtatus reſtituendus eſt, mutando conditionem fluidi nervei, quod ad partem affectam tendit, extremitatumque ſenſibilium nervorum, quibus ſuppeditatur.

Qui animadverſiones audiverunt, quas circa morbum JOANNÆ WILSON protuli, non mirabuntur, me hoc conſilio Electricitatem adhibuiſſe, præſertim cum, ut opinor, ab eâ in illo

caſu tam felices redundârint effectus. Primo equidem conſpectu, incongruum videri poſſet, hîc remedium commendari, ad morboſam ſenſibilitatem dimiminuendam, quod, uti bene notum eſt, inſignibus pollet viribus ad eam augendam, vel reſtituendam, cum imminuta, aut perdita eſt. Verum credo, hos effectus inde oriri, quod ſecretionis ſtatum mutet; atque id propterea fluidum nerveum ad ſtatum naturalem reſtituturum, ſi quando aliter ſe habet.

Sed qualicunque modo agat, quibusdam obſervationibus certo perſuaſus ſum, Electricitatem morboſam ſenſibilitatem imminuere poſſe; & idcirco eam huic ægro præſcripſi. Sed quia in hoc caſu leviſſimus tactus vehementem dolorem excitabat, neceſſe fuit magnâ cum cautelâ incipere. Hac de cauſâ in initio fotum electricum ægro præſcripſi, quo corpus tantummodo igne electrico adimpletur; nam arbitror, Electricitatem, ſic adhibitam, toti corpori ſtimulum præbere; ſed nullam partem tam immediate afficere, ac ictus, vel ſcintillæ. Eodem igitur tempore admonui, ut tentaretur, an æger ferre poſſet, ſcintillas ex ſummis digitis elici; atque, propemodum præter ſpem, eum Electricitatem, ſic adhibitam, ferre potuiſſe, reperii; nam, licet aliquis dolor oriebatur, brevi tamen poſt evanuit.

Electricitate hoc modo per breve temporis ſpa-

ſpatium adhibitâ, aliquod incipientis ſanationis indicium apparuit; nam, quanquam adhuc dolor ad tactum perſtitit, digitos tamen paululum movere potuit; verum hoc tempore machina noſtra electrica læſa fuit, unde neceſſario intermitti debebat curatio, nec artifex eam tam cito, ac par erat, refecit: interim æger ſæpenumero venit, ſed non electrizatus fuit, atque ſæpius fruſtratus nos tandem dereliquit. Fateor, me hoc ægre tuliſſe, & illius gratiâ, quia ſpem habuit ſanitatis recuperandæ, & noſtrûm, quia ejus diſceſſus propoſitæ methodo finem poſuit. Si illi unquam occurram, modo morbus in eodem ſit ſtatu, Electricitatis repetitionem commendabo. Verum de aliis conſiliis poſthàc, ſi Electricitas irrita foret, capiendis, non opus eſt, ut dicam, cum levis ſit ſpes, nos unquam hunc caſum tractandi occaſionem habituros.

Quum hic æger nunquam poſtea ad Valetudinarium redierit, de decurſu, ac eventu ejus morbi parum cognovimus. Sed aliquot poſt menſibus quidam Juvenes, qui prælectionibus adfuerant, ei occurrerunt in plateâ, iisque dixit, morbum in eodem fere, quo antea, ſtatu, perſtitiſſe. Eo tempore alius medicus ejus curam gerebat.

CASUS XX.

Obſervationes de Convulſionibus, pilulis Cæruleis ſanatis.

J. M. Vir, viginti novem annos natus, arte ſutor, in valetudinarium admiſſus die 18vo Aprilis 1777, omni fere veſperâ, poſt decubitum, motibus convulſivis diverſarum corporis partium, præſertim crurum, ac brachiorum, afficitur. Varia eſt horum paroxyſmorum duratio. Alias ſemihoram, alias horam, durant, &, in univerſum, copioſo ſudore terminantur. Dum adeſt paroxyſmus, dyſpnœâ, & vertigine, laborat; eumque etiam plerumque comitatur involuntaria alvinarum fæcum, ac urinæ, evacuatio. Statim poſt finitum paroxyſmum plerumque in ſommum incidit, atque noctu bene quieſcit. Verum de die gravem ponderis & oppreſſionis ſenſum circa præcordia patitur; ac frequenter etiam flatibus afficitur.

Appetitus aliquantum læſus, alvus adſtricta, niſi cum pilulis catharticis utitur. Pulſus, & calor, naturales.

His ſymptomatibus tres circiter ſeptimanas la-

laboravit; ſed nunquam antea ſimili morbo obnoxius fuit; atque nec parentes, nec conſanguinei ejus, talem unquam perpeſſi ſunt. Paroxysmi tempore nullus læditur ſenſus, & eos, qui circumſtant, quamvis ægre, alloqui tamen poteſt.

Morbum ſuum refert nimio liquorum ſpirituoſorum uſui, quibus ſæpenumero, ante paroxysmorum initium, adeo indulſit, ut in maximo gradu ebrius fuerit.

Quibusdam uſus eſt remediis, quorum naturam ignorat; atque ex iis vix minimum levamen accepit. Jam ANDERSONI pilulas ſumere ſolet, in tali doſi, ut quotidie bis, vel ter, liquidas fœces deponat.

Intermittantur pilulæ catharticæ, &

℞. *Laudani Liquidi guttas viginti quinque, Syrupi ſimplicis drachmas duas, Aquæ Menthæ unciam unam. M. fiat Hauſtus ſumendus, ſingulis noctibus, horâ ſomni. Capiat etiam ſingulo mane pilulam cæruleam unam.*

Die 26to Aprilis. Medicamenta, uti præſcriptum fuit, ſumpſit; nullumque per multos jam dies paroxysmum habuit. Sed hodie horâ circiter undecimâ ante meridiem levis inſultus ſupervenit. Alvus valde adſtricta eſt; atque ad hoc incommodum ſublevandum pro re natâ ANDERSONI pilulas ſumpſit.

Intermittantur hauſtus; continuentur pilulæ cæruleæ, & capiat alternis noctibus, ſomni tempore,

pilularum ex Colocynthide cum Aloe grana decem.

Die 9no Maji. Gravem habuit paroxyſmum die Mercurii proxime elapſo; qui horâ primâ matutinâ incipiens, unam propemodum horam duravit; ſed, poſtquam ultimo ad nos venit, nullum alium paſſus eſt. Sæpe tamen dolore ventriculi, ac vomitu, afficitur. In univerſum, ex quo pilulas catharticas, ſumere cœpit, quotidie alvum leniter depoſuit.

Die 16to Maji. Ab ultimâ relatione nullum habuit paroxyſmum; ac ventriculi dolore, vel vomitu, parum laboravit. Sed nunc multum queritur de dolore in regione ventriculi. Alvus morigera eſt, tametſi non niſi raro pilulas catharticas ſumpſit.

Intermittantur pilulæ ex Colocynthide cum Aloe, continuentur pilulæ Cæruleæ, & capiat pilulam unam mane, & veſperi.

Die 23^io^ Maji. Vehementem habuit paroxyſmum die Veneris veſpertino tempore, alterumque die Saturni, nullum autem exinde.

Continuentur pilulæ Cæruleæ, ſed capiat pilulas duas ſingulis noctibus, & pilulam unam ſingulo mane.

Die 30mo Maji. Nullus rediit paroxyſmus, poſtquam ultimo ad nos acceſſit. Sed adhuc de dolore ventriculi queritur. Appetitus aliquantum refectus.

Con-

Continuentur pilulæ Cæruleæ, ut antea.

Animadverſiones in hunc caſum, die 10mo *Junii propoſitæ.*

Caſus hujus ægri quodammodo ſingularis eſt, ac, ut opinor, exemplum præbet morbi, qui in praxi raro occurrit. Conſtat ex paroxysmis manifeſto nervoſis. Hi initio aliquatenus periodici fuerunt, utpote qui quaque veſperâ horâ certâ redibant. Verum hic rerum ſtatus non niſi brevi duravit; & haud multo poſt tempore paroxysmos habuit, æque irregulares acſi Hyſterici, vel Epileptici fuiſſent. Præterea notare licet, eos, Hyſtericis, ac Epilepticis, inſultibus, multis titulis ſimiles eſſe; atque bene notum eſt, ejusmodi morbos nunc minime raros eſſe.

Igitur neceſſario ſaltem probabilis videtur ſuppoſitio, quæ hujus ægri morbum ad alterutrum peculiari quodam modo pertinere ponit. Verum, caſu diligenter perpenſo, validæ objectiones huic ſuppoſitioni adverſantur. Negari quidem non poteſt, utrumque morbum varias induere formas; at, licet hoc ita ſit, adſunt tamen quædam characteriſtica ſymptomata, quæ in unoquoque conſtantur occurrunt, & quæ, qualiscunque ſit phænomenorum varietas, veram morbi naturam ſemper indicant.

Hyſteriam nunquam non comitatur peculiaris affectio canalis inteſtinalis, cum quodam animi ſtatu, qui facit, ut ægra magnopere inter

 hila-

hilaritatem, & animi abjectionem, fluctuet. Nullum autem alterutrius indicium hoc in caſu adeſt. Æger quidem, quemadmodum facile percipere poſſumus, morbo, cui ſe obnoxium videt, aliquantum percellitur; ſed talis animi affectio dejectionem refert, quæ Melancholiæ, vel Hypochondriaſis comes eſt; ac nulla adſunt indicia indolis tam mutabilis, ac in Hyſteriâ videre licet. Agnoſcendum eſt, hic omnino non deeſſe canalis inteſtinalis affectiones, caſque conſtanter quodammodo partem paroxyſmi conſtituere; nam in hiſtoriâ morbi narratur, inſuperabile deſiderium alvinas fæces, urinamque evacuandi, in primis paroxyſmorum inſultibus, adfuiſſe. Neceſſe autem eſt, ut talis evacuatio ad aliquam muſculorum involuntariam actionem referatur; atque hæc ab actione vel veſicæ, vel recti, vel muſculorum abdominalium, hæc viſcera comprimentium, oriri poteſt. Secundum poſteriorem ſententiam, quæ non minus rationi conſentanea eſt, quam prior, nulla affectio peculiaris tubi inteſtinalis hoc in caſu adeſt. Sed, licet ponamus, priorem veram eſſe cauſam involuntariæ evacuationis, hoc tamen phænomenon, multum differt a ventris murmure, vel ſenſu globi gulam verſus adſcendentis, qui Hyſteriam comitatur. Præterea, tametſi initio apparuerit, per aliquod tamen tempus ceſſavit; atque nuper etiam multos graves paroxyſmos, abſque ullo tali ſymptomate,

pas-

paſſus eſt. Nullum igitur dubium eſt, quin eſſentialia Hyſteriæ ſymptomata hic deſint; atque morbus ad aliquod aliud genus referendus ſit.

Suppoſitioni, quâ dicitur morbus hic eſſe Epilepſia, quæ & morbus eſt generis nervoſi, cui aliquatenus ſimilis videtur, majores adhuc difficultates obſtant; & vel in agitationibus convulſivis pedum, brachiorumque, manifeſta diſſimilitudo occurrit. In Epilepſiâ motus violenti ſunt, ſed ſe invicem non cito ſequuntur; in caſu autem hoc celeres ſunt, veluti ludicræ geſticulationes, quæ Choream St. Viti comitantur. Præterea ſymptoma adhuc magis eſſentiale hic deeſt, nam paroxysmi tempore æger omnes ſenſus retinet, atque etiam ſatis diſtincte loquitur. Sed in Epilepſiâ aliter ſeſe res habet; nam & externi, & interni, ſenſus manifeſte afficiuntur: in paroxysmi fine in univerſum delirii indicia adſunt, vocesque inconditæ proferuntur; atque etiam credo, totalem ſenſuum abolitionem, ſaltem per aliquod tempus, eſſentialem conſtituere morbi characterem.

In hoc caſu, illæſis facultatibus mentis, clonici voluntariorum musculorum ſpasmi occurrunt, cumque Convulſionis, ſic ſtrictim dictæ, inſigne nobis exemplum præbere puto. Hunc morbum a diverſis Noſologis ſub vocibus *Chorea*, *Scelotyrbe*, *Hieranoſos* & ſimilibus, notatum videbitis; ſed, quamquam quidam Noſologi eum

in tam multa genera dividunt, nequaquam tamen frequenter occurrit.

Cæterum non ideo dixerim, eum nunquam occurrere. Practicis præcipue innoteſcit nomine *Choreæ St. Viti*, quo in morbo motus tam ridiculi adſunt, ut ſimul commiſerationem, atque riſum, moveant. Præterea, ratione muſculorum affectorum, vel modi, quo homines afficiuntur, varia exhibet phænomena. Hæc, ab omnibus fere practicis ſcriptoribus, atque præcipue a Cl. SYDENHAMO, deſcripta videbitis; ad eos igitur vos relegare licet. Verum notabilem hujus morbi caſum, a Cl. WHITIO *Eboracenſi* relatum, in nuper edito Commentariorum, de re medicâ agentium, numero invenietis; atque ex hiſtoriâ ibi traditâ, eum aliquando graviorem, quam in caſu hoc eſſe patebit.

Ex felici illius caſus eventu, majorem de hoc ſpem concepi, quam ſi res ſe aliter habuiſſet. Sed notandum tamen eſt, me de prognoſi non magnâ cum fiduciâ loqui poſſe. Nulla equidem video ſymptomata, quæ imminens periculum minitentur, & ea propter, quantum fieri potuit, ægri timorem ſedare conatus ſum. In univerſum tamen tales morbi tantum ſequelæ ſunt conſtitutionis corporis, quodammodo mutatæ; unde, quando ſemel orti ſunt, non niſi ægre cedunt. Igitur non mirum mihi videretur, ſi hic caſus per aliquod tempus medica-

men-

mentis reſiſteret, vel ſi tandem etiam omnes noſtros conatus eluderet.

Talis eventus eo magis timendus eſt, quoniam credendi locus eſt, ægrum manſurum eſſe obnoxium cauſæ, quæ malum initio produxit. Nam lubenter cum eo ſtatuo, illud crebræ, ac largioris, potationis effectum fuiſſe. Hæc enim inter cauſas convulſionis a plerisque Practicis ſcriptoribus enumeratur, ac, ut opinor, ex iis eſt, quæ frequentiſſime occurrunt; ſaltem, unicum morbi, qui jure chorea nominandus erat, exemplum, quod unquam vidi, ab eadem cauſâ proveniſſe merito mihi dicendum videtur: certe infirmitas, ac tremor manuum, quæ vulgo a largiori potatione oriuntur, ad hanc fortaſſe non minus, quam ad paralyſin, tendunt.

Si ponamus, hanc eſſe cauſam, non dubitandum eſt, quin ei iterum expoſitus fuerit, nam certior factus ſum ab opifice, cui mercede diurna conductus ſervit, eum ab aliquo tempore multos in potando exceſſus commiſiſſe; huic autem vitio ſi corpus adſuevit, deſueſcere admodum eſt difficile. Hinc igitur concludo, curationem tam ab ægro, quam a noſtrâ attentione, pendere.

Dum autem nos viſitare pergit, conſilia capi poſſe puto, quadam cum ſpe ſucceſſus; imo etiam credo, morbum medicamentis jam adhibitis quadantenus ceſſiſſe.

Re-

Reſtat igitur, ut nunc principia exponam, quæ huc usque, in hoc caſu tractando, ſecutus ſum, & indicationes, ad quas poſthac attendendum erit, paucis abſolvam.

Omnem motum muſcularem vis nervoſæ effectum eſſe, credo, ſive ejus fluidi motus ſtimulo, ſive voluntate, ſive aliquo alio modo excitetur. Itaque proximam hujus morbi cauſam inordinatum fluidi nervei motum dico. Ad hunc motum excitandum quidam ſtimulus requiritur, & ut ille efficax ſit, peculiaris irritabilitas fibræ motricis neceſſaria eſt; ac propterea duæ hic ſunt indicationes, quæ in curatione perficiendâ præcipuam attentionem merentur.

1°. Cauſæ excitantes amovendæ ſunt.

2°. Ea fibræ motricis conditio mutanda eſt, ſine quâ hæ cauſæ irritæ forent.

Si utrumque hunc ſcopum perfecte aſſequi poſſumus, manifeſtum eſt, paroxyſmum non ultra rediturum. Cum autem cauſis excitantibus tam conſtanter expoſitus ſit, ut vix evitari queant, curatio radicalis præcipue a poſteriori indicatione petenda eſt; atque amovendo talem corporis conditionem, non ſolum Convulſio, ſed etiam Epilepſia, morbus multo pertinacior, nonnunquam debellatur.

In hoc caſu quædam utroque fine tentata ſunt, ſed poſteriori præſertim confido. Cum initio paroxyſmi regulariter redirent, bonum fore exiſtimavi, eos prævenire; atque hunc in ſinem

finem opiatum præſcripſi, tempore, quo paroxysmus incipere ſolebat, ſumendum; & ad regularem evacuationem per alvum ſtabiliendam, ut ſic ſaltem una irritationis cauſa auferretur, pilulas catharticas adhibui. Sed in uſu Cupri Ammoniaci, ſub formâ pilularum cœrulearum, quo nullum potentius medicamentum novi, ad propenſitatem in convulſivos morbos amovendam, omnem curationis perficiendæ ſpem repoſui; ac nuper Epilepticum hoc remedio ſine dubio perfecte ſanavi.

Igitur in animo eſt cum eo hoc in caſu juſtum experimentum inſtituere; atque hunc in finem doſin, jam ab unâ pilulâ ad tres quovis die ſumendas auxi. Hac doſi nullum alium effectum manifeſtum edidit hoc remedium, niſi quod ægritudinem ventriculi, de qua querebatur, permanere fecerit. Credo tamen, id in hoc morbo jam aliquem felicem effectum produxiſſe; nam paroxysmos non tam cito ſe invicem ſecutos fuiſſe; eo factum puto; ac etiam ſpero, fore, ut ejus uſu morbus penitus ſubigatur. Si tamen fallar, vel morbus pertinax evaſerit, in animo eſt, ei Balneum frigidum conjungere; &, ſi utrumque irritum fuerit, Corticem Peruvianum experiri ſtatuo. Hoc autem tempore neceſſe eſt, ut, quantum fieri poteſt, quamlibet evitet cauſam excitantem, quæ paroxysmum accerſere, vel prædispoſitionem ſuſtentare, poteſt; & præſertim ei temperantiam

com-

commendavi, ex qua fortaſſe magis, quam ex ullâ aliâ re, in hoc caſu curatio pendet.

Sequela.

Hic æger aliquot adhuc ſeptimanas pilulas cæruleas ſumpſit; atque nec auctâ doſi, nec ullo alio medicamento adhibito, morbus prorſus evanuit, ac e Valetudinario ſanus dimiſſus fuit.

CASUS XXI.

Obſervationes de gravibus Periodicis Doloribus Inteſtinorum, uſu Pilularum Gummoſarum ſanatis.

A. O. Circiter quadragenarius, in valetudinarium admiſſus die 10mo Maji 1777, arte cophinarius, ſtaturâ brevi, habitu gracili, & vultu ſubobscuro, nonnunquam de dolore admodum vehementi abdominis queritur: quem dolorem tumor ſatis magnus, atque diſtenſio partis affectæ, comitantur. Hoc ſymptoma a flatibus oriri videtur, atque iis emiſſis, ſemper allevatur. Dolor ab imo ventre per totum corpus ſurſum extenditur, atque præcipue ſub axillis ingraveſcit. Brevi tempore diſtenſio evaneſcit; ſed poſt quemque paroxysmum, per reliquam diei partem, quodam dolore afficitur, qui noctu plerumque ceſſat.

Hujus-

Hujusmodi inſultum fere quotidie patitur; præcipue tempeſtate frigidâ. Ante ejus adventum duo circiter cochlearia fluidi aquoſi, & inſipidi, nunquam non ex ore ejicit; atque, hoc dato ſigno, præcinctorium, ac ſubuculam, laxat. Nam ſi hoc neglexit; tumor abdominis, & dolor, protinus ſuperveniens, eum gravius affligunt. Interea dum hi paroxysmi adſunt, de magnâ ſiti queritur; ac quando dolor crebro revertitur, obſtinatâ alvi conſtipatione laborat; alias autem alvus regularis eſt. Appetitus bonus; bene dormit; pulſus 64; calor naturalis.

Duodecim annos his ſymptomatibus obnoxius fuit; atque ab initio eandem fere, ac nunc, formam induerunt: ſed paroxysmi nuper frequentiores, ac graviores, fuerunt.

Nullam noſcit cauſam, cui hæc ſymptomata adſcribere poteſt; ac pauca ſumpſit medicamenta, ex quibus tamen nihil fere levaminis, & hoc tantum pro tempore, percepit. Verum, quando alvus laxa eſt, dolores mitiores eſſe, obſervat: ac, dolore admodum ſæviente, nihil ei plus levaminis adfert, quam pannus calidus abdomini applicitus; qui tamen frequenter incaſſum adhibetur.

Capiat ſingulis noctibus, horâ ſomni, pilularum Gummoſarum grana decem.

Die 16to Maji. Magnam flatuum copiam alvo exploſit, ex quo pilulas ſumere cœpit; atque

atque hæ ventrem modice laxum reddunt: nullum habuit recurſum diſtenſionis, vel ſævi doloris.

Continuentur pilulæ Gummoſæ.

Die 23tio Maji. Adhuc multos flatus alvo explodit; ac nullum habuit violentum doloris inſultum, ex quo pilulas ſumere cœpit. Alvus regularis.

Continuetur medicamentum.

Die 30mo Maji. Liber a dolore manet; atque in cæteris illibatâ fruitur ſanitate.

Animadverſiones in hunc caſum die 3tio Junii propoſitæ.

Morbus hujus ægri brevi noſtrâ curâ feliciter terminatus eſt; vel ſaltem tam diu levamen tantum accepit æger, ut non amplius opus eſſe judicarem, ut nos ultra viſitaret. Non tamen mihi mirum videretur, ſi ejus morbus iterum reverteretur; & fateor, eum citius levatum fuiſſe, quam exſpectaveram; nam caſus ejus minime mihi videtur inter frequenter occurrentes referendus; atque, ut opinor, facilius eſt de ejus morbi naturâ probabilem facere conjecturam, quam vel ei nomen aſſignare, vel omnia phænomena explicare. Eſſentialem morbi partem ex doloribus in abdomine incipientibus conſtare, patet; atque hos, dum adſunt, admodum eſſe vehementes. Qui Noſologiam tractarunt, Scriptores omnes inteſtinorum dolores, a fixâ cauſâ non ortos, ad colicæ genus referunt.

Verum,

Verum, quo minus huic morbo hoc nomen tribuamus, nonnihil obſtat. Fugaci ejus naturâ, æque ac frequenti recurſu, ſpecie ſaltem differt a morbo, qui ſub colicæ titulo vulgo innoteſcit; idque etiam quando a flatibus, qui manifeſte hoc in caſu mali cauſa ſunt, colica provenit.

Sed præterea in hoc caſu multa alia peculiaria occurrunt; ac inter hæc memorare licet ſymptoma, quod paroxysmum præcedit; inuſitatam volo ſalivæ ex ore excretionem; nam fatendum mihi eſt, me penitus latere, quo modo hæc cum aliis morbi ſymptomatibus connectatur. Equidem manifeſtum eſt, adauctam fluidorum ſecretionem per glandulas ſalivares, multarum diverſarum perceptionum effectum eſſe; nam verbi gratiâ non raro a quibusdam ſonis oritur. Igitur ſaltem opinari poſſumus, eam in hoc morbo a cauſâ, huic quadantenus ſimili, provenire, veluti a quadam peculiari perceptione, in inteſtinis excitatâ, quæ vehementem dolorem antecedit.

Hic obſervare licet, hunc non unicum eſſe caſum, in quo hujusmodi phænomenon mihi in praxi occurrit. Duos Epilepſiæ caſus tractavi, in quibus fluxus fluidi aquoſi & inſipidi in os paroxysmum adventare indicabat; & hoc ſymptoma expoſito jam modo explicandum credidi; ſed non dixerim, num tunc, vel in hoc caſu, ita merito cenſuerim.

Hujus ægri morbus, quod phænomena dolorem præcurrentia, æque ac ejus ſequelas, ſaltem, quo propagatur, curſum, ſpectat, ſingularis eſt. Nobis relatum eſt, eum in ſingulis paroxysmis in imo ventre incipere, ac in parte dolente manifeſtum tumorem, & diſtenſionem, apparere. Cæterum ab ejus origine brevi per univerſum corporis truncum extenditur, ac ſub axillis, ubi præcipue ingraveſcit, terminare videtur.

Non auſim dicere, quare peculiarem hunc curſum teneat; nonnulli eum ad membranarum continuationem, ac eodem tempore ejus ſub axillis ſævitiam, ad earum terminationem, atque interruptionem, referre vellent. Quod ad me attinet, fatendum eſt, me nullam ſatis validam objectionem huic ratiocinio opponere poſſe; attamen vix crediderim, id phænomenis confirmatum eſſe; nam, tametſi in caſibus ſingularibus, uti in hoc, fieri poſſit, ut dolor conſtanter certum curſum ſequatur; caſibus tamen diverſis inter ſe collatis, curſus, quo dolores propagantur, multum variatur, dum in omnibus membranarum connectio eadem eſt. Igitur credere pronus ſum, in quoque caſu, curſum, a peculiari conditione partium præcipue affectarum, ac veriſimiliter nervorum potius, quam ſolidorum ſimplicium, pendere.

Verum quocunque modo explicanda ſint phænomena, quæ paroxysmos, de quibus nunc

agi-

agitur, præcedunt, vel ſequuntur; vix, ut opinor, dubitandum eſt, quin præcipuam morbi partem affectionem ſpasmodicam eſſe dicere debeamus, quæ ad inteſtina, flatibus diſtenta, referenda eſt. Hoc patet ex ventris tumore, pariter ac ex levamine, quod æger, flatibus emiſſis, percipit.

Hanc amplexus ſententiam de morbi naturâ, curationem perficere, ſin minus, dolorum ſævitiam mitigare, ac proxysmorum frequentiam imminuere, ſperabam. Verum, perpenſâ paroxysmorum vehementiâ, hæc non facile locum habitura exiſtimabam: ac, quum reputarem, morbum duodecim jam annos duraſſe, non arbitrabar, fieri poſſe, ut brevi debellaretur. Itaque, etſi felicem terminationem exſpectarem, caſum tamen obſtinatum fore metuebam; ſed, uti poſtea ex eventu patuit, immerito timui.

Curationem hujus morbi in duabus rebus conſiſtere putavi. Primo, in frequenti expulſione flatuum ex inteſtinis, utpote qua ſpasmodicæ affectionis cauſa auferretur. Secundo, in amovendâ proclivitate in ſpasmum, quo fieret, ut, licet cauſa irritans quadantenus adeſſet, brevi tamen eosdem ac antea effectus edere ceſſaret. In utrumque finem hic pilulas Gummoſas adhibui, confidens præcipue viribus ſtimulantibus & antispasmodicis Aſſæ Fœtidæ, quæ earum formulam ingreditur.

Minime dubitari poteſt, hoc medicamentum mea vota expleviſſe. Ex quo enim æger eo uti cœperat, flatus libere per alvum exploſit, atque etiam excrementorum evacuationem promovere remedium videbatur; nam, quamdiu pilulas ſumpſit, alvum modice laxam habuit. Præterea, eodem tempore, ab omni vehementis doloris recurſu liber fuit; nulloque per menſis ſpatium redeunte paroxysmo, non neceſſarium eſſe judicavi, medicamenti uſui ulterius inſiſtere. Eum igitur dimiſi, ad tempus ſaltem curatum. Haud tamen dixerim, eum nullos iterum recurſus habiturum. Sed, ſi hoc acciderit, veriſimile eſt, nos de illo rurſus audituros; ac ſpero, ejus morbum tunc per eadem medicamenta ſubactum iri.

Hic æger, poſtquam dimiſſus fuit, in Valetudinarium non reverſus eſt; atque, quum, pluribus elapſis menſibus, de illo inquireretur, ab omni morbi recurſu liber erat; & cætera quam optime ſe habuit.

CASUS XXII.

Obſervationes de pertinaci Affectione Cutaneâ, ad genus Lepræ pertinente.

E. R. Mulier, quinquageſimum quintum ætatis annum agens, habitu modice pleno, ſtaturâ mediocri, in diverſis trunci corporis partibus, efflorescentiam habet ſiccam, quæ ſquamarum albescentium, paulum ſupra cutim eminentium, ſpeciem præbet. Pedes etiam, & brachia, ſimilis efflorescentia obſidet; in vultu autem rara eſt. Siccæ hæ ſquamæ variæ ſunt magnitudinis, aliis ſolidi dimidio minoribus, aliis ſolido majoribus.

Furfures hi albescentes nonnunquam ſponte decidunt, & tunc partes, quas tenebant, præter modum rubent, ſed minime ulcerantur, nullumque liquidum plorant: cæterum aliquando calidæ, & pruriginoſæ, ſunt, non extra modum tamen; atque brevi ſquamis albeſcentibus ejusdem generis obſidentur.

Nullâ anni tempeſtate ab hac efflorescentiâ libera eſt, at uſitatiſſime vere, & autumno, latius patere obſervatur. Crebro etiam capitis dolorem conqueritur, cum quadam vertigine, quæ

quæ eam præcipue tempore matutino exercet, ac plerumque noctem verſus remittit. Appetitus ſanus; calor naturalis; & pulſus octoginta vibrationes minuti ſpatio perficit. Alvus ac menſes naturales.

Efflorescentia hæc quatuordecim circiter abhinc annis primo apparuit, & tunc propemodum tam late ac nunc extendebatur. Per hoc temporis ſpatium ſæpius medicamentis ceſſit; ſed nunquam eâ diu libera manſit. Quænam fuerint medicamenta, ignorat. Sed quinque circiter abhinc annis, quum in Regio noſocomio hoc morbo ſedecim circiter ſeptimanas detinebatur, levamen valde magnum percepit ex uſu pilularum, quæ dentes labefecerunt.

Morbum eo refert, quod, poſtquam multum ſalmonem comederat, lac recens biberat; quum paulo poſt hic morbus inceperit. Nec parentes, nec conſanguinei, tali unquam morbo laboraverunt. Quod diætam, vel vivendi modum, ſpectat, a conſuetudine aliorum ejusdem ordinis hominum minime diſceſſit.

℞. *Mercurii Corroſivi Sublimati grana quatuor, ſolve in aquæ puræ unciis ſeptem, & ſolutioni adde Spiritus Lavendulæ Compoſiti unciam unam. M. Capiat ſemunciam ſingulis noctibus horâ decubitus.*

Die 13tio Maji. Aſſidue ſolutionem ſumpſit; & hæc nullum ſudorem noctu excitavit; verum primæ doſes levia tormina, ac ſequenti mane

ne quasdam fluidas dejectiones, produxerunt, cæterum nunc nec tormina, nec diarrhœam, producit, ſed nulla mutatio vel in efflorescentiâ, vel in cæteris ſymptomatibus, obſervatur.

Continuetur medicamentum, ut antea.

Die 16to Maji. Symptomata in eodem, ac antea, ſtatu permanent; neque ſolutio aliquid affert incommodi.

Continuetur medicamentum.

Die 23tio Efflorescentia in trunco aliquantum imminuta eſt, in brachiis vero eadem prope eſt, ac olim. Verum cætera exiſtimat ſe melius valere, quam quum medicamenta incepit ſumere.

Continuetur Solutio.

Die 30mo Maji. In brachiis efflorescentia minime imminuitur, atque in trunco, poſtquam ultimo ad nos venit, potius ingraveſcit. Solutio nuper magnam ventriculi ægritudinem creavit, cum ſævis torminibus, ac quodam alvi fluxu; ſed cutis nunquam eâ per noctem humida facta fuit.

Intermittatur Solutio Mercurii Corroſivi Sublimati, &

℞. *Acidi Vitriolici drachmam unam;*
Aquæ puræ ſeſcunciam;
Syrupi ſymplicis ſemunciam. M. Capiat drachmam unam ex aquæ cyatho ſingulo mane.

Die 10mo Junii. Mixtura acidi vitriolici ventriculi ægritudinem excitat, ſed ſine vomitu. Adhuc de torminibus queritur, præſertim poſt meridiem, quando plerumque ſimul laxior alvus eſt. Efflorescentia brachiorum, æque ac trunci, multum remiſit, ex quo hoc medicamentum incepit ſumere.

Continuetur mixtura vitriolica. Sed capiat drachmam unam mane & veſperi. Capiat etiam Salis Glauberi ſeſcunciam, bis in ſeptimaná, ex aquæ ferventis unciis octo, pro cathartico.

Die 17mo Junii. Duæ Salis Glauberi doſes validiorem paulo catharſin excitarunt. Sed mixtura vitriolica ſtomacho convenit; atque tota ferme corporis ſuperficies jam ab efflorescentiâ libera eſt, carpis ac talis exceptis, qui adhuc paulum afficiuntur.

Continuetur mixtura Vitriolica, ut antea, & repetatur Sal Glauberi bis in ſeptimaná. Sed capiat unciam unam ſolummodo in ſingulis doſibus.

Animadverſiones in hunc caſum, die 24to Junii propoſitæ.

Morbus, quo hæc ægra laborat, maximâ ſaltem ex parte, ſatis patet. Manifeſtum hic præbet exemplum cutanei morbi, qui & late extenditur, & diſtinctis ſymptomatibus notatur. Quædam ſane corporis ſuperficiei partes denſius, quam aliæ, obſidentur, uti præcipue extremitates ſuperiores. Sed præterea extremitates etiam in-

inferiores, ac truncus, quando primum ad nos venit, multis locis eâdem efflorescentiâ obſita fuerunt. Sed præter morbum manifeſtum, hic etiam indicia apparuerunt labefactatæ totius machinæ, uti dolor capitis, ac vertigo, quibus ſæpe laboravit, extra dubium probant. Hæc tamen ſymptomata non ſpectanda ſunt, ut diſtinctum morbum conſtituentia, vel hunc reddentia complicatum; ſed ſolummodo conſideranda ſunt, ut cutanei morbi ſymptomata, quæ veriſimiliter ex conditione excretionis per corporis ſuperficiem proveniunt.

Verum, tametſi morbus late pateat, vario tamen reſpectu ſanitas parum mutata videtur. Pulſus, & calor, normam naturalem non excedunt, dum ſimul alvi, veſicæ, aliæque excretiones, uti & appetitus, in ſtatu ſano ſunt. Eam igitur, nullo alio morbo laborare exiſtimo, præter manifeſtum cutis morbum.

De affectionum cutanearum diſtinctione, ac de earum cauſis generalibus, quum de aliis caſibus verba feci, jam quasdam obſervationes protuli. Diſtinctionem, quam tunc ſtabilire conatus ſum, ſi conſidero, ſine dubio hic caſus ad Lepram referendus eſt; atque in eo omnia fere Lepræ ſymptomata, uti a plerisque Noſologis definitur, ſatis diſtincta video. Verum quidem eſt, hic relatum eſſe, nullum pruritum, vel dolorem, ab efflorescentiâ naſci; ac

notandum eſt, priorem, pruritum ſcilicet, Lepræ definitionem, uti a plerisque Noſologis datur, ingredi; ſed, ex mea opinione, ut pars morbi eſſentialis, conſiderari nequit; atque exiſtimo, ipſius ægræ relationem non obſtare, quo minus admodum ſit dubium, num talis ſenſatio omnino defuerit.

Ex omnibus Speciebus, quas deſcripſit Cl. SAUVAGESIUS, hic morbus Lepram Græcorum, vel, ut vulgo dicitur, Lepram, maxime refert: & hic notandum eſt, partes affectas ſine dolore, ac quadantenus inſenſiles, eſſe; hinc, quatenus pruriginoſa ſenſatio occurrit, hic partes præcipue afficit, quæ ſquamas circumdant.

Hic morbus, ut novimus, in hac regione raro occurrit; & fateor, me nunquam caſum vidiſſe, qui huic ad amusſim quadrabat. Efflore-ſcentia ſiccior & ſquamoſior, atque ſimul ſquamæ minores ſunt, & latius corpus obſident, quam vulgo videre eſt.

Ex omnibus circumſtantiis concludendum mihi erat, hunc morbum obſtinatum fore.

Morbus, prout hic deſcribitur, ita ſe habere plerumque obſervatur; verum in hoc caſu illum adhuc, minus propitium, conſiderare licet, quod minime recens ſit. Antequam ægra curæ ſe noſtræ commiſit, morbus quatuordecim jam annos expleverat, atque per hoc temporis ſpatium varia medicamenta incaſſum ten-

tata

tata fuerant. Equidem fertur, eum quibusdam paululum ceſſiſſe, ſed brevi tamen ad priſtinum ſtatum rediit. Quum igitur pateat, eum in habitu radices egiſſe, rationi minime conſentaneum eſſet, citam exſpectare curationem; imo etiam timendi locus eſt, ne nos tandem, æque ac alii Medici, operam perdamus. Verum aſſerere licet, ea, quæ jam ad morbum debellandum inſtituta fuere, non omnino irrita fuiſſe; atque ſpero fore, ut hanc ægram multum allevatam dimittere poſſimus, eamque ita ſaltem per aliquod tempus manſuram.

Antea jam obſervavi, me multum hæſiſſe in fundamentis, quibus in hujusmodi caſu praxis niti debeat, ponendis. Ea, maximâ ex parte, cauſæ præcipuæ, ex qua morbus immediate naſcitur, accommodare oportebat; &, cum tales cauſæ ſuâ naturâ admodum differant, non ſemper pro certo ſtatui poſſunt.

Pauca ſunt, quæ hujus mali cauſas præcipuas elucidant, nec ulla concluſio a cauſis remotis deduci poteſt. Ipſa ægra eo morbum refert, quod Salmonem cum lacte ediſſet. Sed credo, hanc conjecturam minime certam eſſe. Non ſolum ipſi ægri, ſed etiam Medici, piscis uſum, velut cauſam morborum cutaneorum valde efficacem, ſpectant; & minime negarîm, rem ita ſeſe habere poſſe. Sed, quando hoc accidit, non piscis ſemel ſumpti, ſed diu continuati

hujus

hujus uſus effectus eſt, & quidem præcipue cum ciborum maxima pars ex eo conſtat.

Hic vero morbus piſci, & lacti ſimul imprudenter, & tantummodo ſemel, ſumptis, adſcribitur Verum, tametſi talis miſcela a plurimis improbetur, hoc tamen ut plebis præjudicium conſidero. Utcunque autem ſe res habeat, ſi morbum cutaneum produxiſſet, concludere liceret, eam fugacem fore; quod quidam ex uſu piſcium teſtaceorum frequenter experiuntur, ac etiam in quibusdam peculiaribus temperamentis ex actione, quam cibi diverſi in ſtomachum exſerunt, aliquando locum habet.

Ex eo, quod morbus hujus ægræ pertinax ſit, & late pateat, eum, magnâ ex parte, a generali fluidorum ſtatu pendere exiſtimo. Hinc curationem ex mutatâ ſanguinis maſſâ exſpectandam eſſe puto; nec improbabile eſt, curationem radicalem, ſi modo obtineri poſſit, diætæ potius, quam medicamentorum, effectum fore. Verumtamen ſecundum ſententiam jam prolatam, in animo eſt curationem potius internis, quam externis, remediis tentare; quamquam ſimul confitendum eſt, remedia jam uſurpata, empirice potius, quam dogmatice, adhibita fuiſſe.

Jam dixi, me exiſtimare, maximam morborum cutaneorum partem, externis potius quam in-

internis, remediis ceſſuram; atque arbitror, etiam poſteriora, corpus per circulationem ingreſſa, aliquando effectus edere eo, quod topicam actionem in partes affectas exſerant.

Non auſim dicere, quatenus medicamenta, hic uſurpata, ſecundum hæc principia egerint; ſed quoad Mercurialem præparationem, primo adhibitam, ita præcipue ſeſe rem habere, puto. Mihi perſuaſum eſt, nullum Mercurio potentius remedium dari, quando in univerſâ fluidorum maſſâ mutatio perficienda eſt. Credo etiam, eum ſtimulare, atque corpus per diverſa excretoria evacuare. Hos effectus præcipue in ſuperficie per vaſa excretoria exſerit, quando acri, vel ſalinâ, formâ ingeritur; atque omnium acrium Mercurii præparationum Mercurium Corroſivum Sublimatum potentiſſimam eſſe credo.

Sperabam igitur, eum in hoc caſu felices editurum effectus. Verum ſæpe non convenit, quia tormina, aliasque canalis inteſtinalis affectiones, creat, præſertim cum diu ſine intermiſſione ſumitur. Hæc ægra poſt aliquot ſeptimanas hos effectus experta eſt; &, quum per illud tempus ſanatio non niſi admodum tarde procederet, ei aliud medicamentum ſubſtitui.

Medicamentum, quod tunc præſcribebam, in ejusmodi morbis, parum uſurpatum fuit; atque in hoc caſu illud præcipue adhibui, quod

ar-

arbitrabar, ſi in tam obſtinato morbo ſucceſſum haberet, id fore validiſſimum ejus efficaciæ argumentum. Hoc medicamentum *Acidum* fuit *Vitriolicum*, interne adminiſtratum. Illud, credo, hoc modo in exercitibus Regis *Boruſſiæ* contra Pſoram primo in uſum vocatum fuit; atque exinde in *Germaniâ*, præſertim *Gœttingæ*, a Cl. Baldingero, Profeſſore in illâ urbe admodum illuſtri, contra Scabiem Siccam, & Humidam, multum uſurpatum fuit. Succeſſus, quo ab illo adhibitum eſt, ſatis mihi videtur incitamenti eſſe ad alia experimenta inſtituenda; atque in noſtro caſu ad minimum res hactenus ſecundæ videntur.

Eo nondum multos dies uſa erat, quum efflorescentia, etiam ubi graviſſima fuit, multum jam imminuta eſſet. Verum in hoc rerum ſtatu utile fore judicavi, ad repetita cathartica recurrere; non quod quidpiam a repulſione, ut vulgo dicitur, efflorеſcentiæ timebam, ſed quod credebam, fore ut circuitus ſanguinis mutaretur, unde aliquod incommodum timendum erat; atque talis incommodi me jam in praxi exemplum vidiſſe puto.

In quodam caſu, in quo Acidum Vitriolicum contra herpetici generis morbum uſurpavi, curatio admodum celeriter procedere videbatur; ſed eam hydrops ſecutus eſt, quem debellato morbo cutaneo adſcribere volui, & quem præ-

prævenire, ut arbitrabar, potuiſſem, ſi alium exitum procuraſſem.

Salinum hic catharticum adhibui, tantummodo ut ſequelis obſtaret; atque in hoc caſu, ſaltem per aliquod tempus, experiri conſtituo, quinam interni uſus ſolius Acidi Vitriolici effectus erit. Si hoc non ſucceſſerit, in animo eſt, id cum axungiâ porcinâ conjunctum externe adhibere. Sic conflatum unguentum non inelegans præbet, & quod, ut opinor, maximopere unguenta ex ſulphure compoſita antecellit.

Si hæc omnia conſilia irrita erunt, adhuc multa alia reſtant, quæ in uſum vocari poſſunt; ſed quæ nunc memorare non neceſſe eſt; nam omnibus, quæ jam propoſita ſunt, tentatis, pro re natâ conſilia capiam.

Sequela.

Efflorefcentia, quæ hujus ægræ totum corpus obſidebat, intra paucarum ſeptimanarum ſpatium penitus propemodum evanuit.

Quum ſic ſe res haberet, non neceſſarium eſſe judicavi, Acidum Vitriolicum eâdem, ac antea, quantitate amplius adhibere, & idcirco minori quantitate, minus frequenter repetitâ, præſcriptum fuit. Sed haud multo poſt hanc mutationem, quædam maculæ rurſus in brachiis apparuere; quæ nec interno Acidi Vitriolici

lici uſu, nec externâ ejus applicatione unguenti formâ, debellari potuerunt.

Poſtquam hæc medicamenta per ſatis longum tempus uſurpata fuerant, Mercurium Corroſivum Sublimatum rurſus adhibui. Hujus ſolutio & interne ſumpta, & externe partibus affectis cataplasmatis formâ applicita, fuit. His tandem methodis topica affectio ceſſit, nam nec truncus, nec inferiores extremitates, iterum affectæ fuerunt. Atque a morbo libera, circa menſis Octobris finem, e valetudinario dimiſſa fuit. Sed initio menſis Aprilis priſtinus morbus rediit, atque nunc iterum Valetudinarium frequentat.

CASUS XXIII.

Obſervationes de Hæmoptyſi.

J. H. Vir quinquageſimum primum ætatis annum agens, arte faber ferrarius, in valetudinarium admiſſus die 2do Junii 1777, tuſſi admodum violentâ laborat, quam nunc expectoratio materiæ viscidæ, & flavæ, comitatur. Diverſis temporibus ingentem rubicundi ſanguinis copiam per ſputa ejecit, eodem fere modo, ac ſi e venâ miſſus eſſet. Duabus circiter abhinc

hinc ſeptimanis, uti arbitratur, multum etiam ſanguinis evomuit; ac jam in ſputis ſæpe aliquid ſanguinis obſervat; ſed exſcreata materies nec fœtidum odorem, nec ſaporem ingratum, habet. Magnâ etiam ſpirandi difficultate, cum gravi circa pectus oppreſſione, & dolore; nec non ingenti debilitate, laborat, ita ut non niſi ægerrime ambulare poſſit. Nunc valde macilentus, & multo gracilior, ac magis extenuatus eſt, quam olim fuit, uti ipſe nobis dixit. Quando ſanguis magnâ copiâ exſcreatur, & tuſſis, & ſpirandi difficultas, per breve temporis ſpatium remittunt. Sed hæc ſymptomata brevi iterum recurrunt; ac jam morbum ingraveſcere putat. Male noctu dormit: appetitus multum læſus eſt: pulſus minuti ſpatio nonaginta ſex circiter pulſationes perficit; atque alvus plerumque regularis eſt.

Hæc ſymptomata, præſertim ſanguinis exſcreationem, per intervalla, plures jam annos, quadantenus paſſus eſt; atque hæc tantam intulerunt debilitatem, ut ultimos tres annos ægerrime arti ſuæ operam dare potuerit. Hæc ſymptomata frigori adſcribit, cui ante eorum initium expoſitus fuit, quodque tunc gravem tuſſim excitavit. Multis medicamentis, quorum naturam ignorat, uſus eſt, ac ex iis nunquam, niſi exiguum, levamen percepit.

 ℞. *In-*

℞. *Infuſi Roſarum uncias duas,*
Mucilaginis Gummi Arabici,
Syrupi ſimplicis ſingulorum unciam unam.
Aquæ Hyſſopi uncias tres. M. Capiat ſemunciam tertiâ quaque horâ.

Die 10mo Junii. Mixtura ſtomacho convenit; ſed frequenter recurrit ſanguinis exſcreatio, idque magnâ quantitate; atque adhuc multum tuſſi affligitur. Pulſus centies minuti ſpatio micat; ſed nunc nec durus, nec plenus, eſt; alvus regularis.

Continuetur mixtura, &

℞. *Pulveris Salis Nitri,*
Pulveris Gummi Arabici, utriusque ſemidrachmam. M. Capiat doſin veſpere & mane.

Die 17mo Junii. Mixtura bene ventriculo convenit, ſed tormina ex pulveribus ſe pecepiſſe queritur. Reſpiratio nunc magnopere allevata eſt, tuſſis paulo mitior, atque, poſtquam ultimo ad nos acceſſit, nihil ſanguinis exſpuit. Pulſus 100. Alvus regularis.

Intermittatur pulvis Salis Nitri: continuetur mixtura cum infuſo Roſarum, ut antea.

Die 1mo Julii. Mixturam proxime elapſis diebus non ſumpſit; atque adhuc a ſanguineâ exſcreatione liber manet. Sed multa laborat tuſſi, quæ noctu præcipue gravis eſt: de dolore etiam pectoris, atque aliarum trunci partium, queritur. Pulſus 94: alvus regularis.

In-

Intermittatur mixtura, &

℞. *Mucilaginis Gummi Arabici*
Syrupi ſimplicis, ſingulorum unciam unam.
Tincturæ Thebaicæ drachmas duas.
Aquæ Hyſſopi uncias quatuor. M. Capiat unciam unam ſingulis noctibus horâ decubitus.

Animadverſiones in hunc caſum, die 8vo Julii propoſitæ.

Si ægrum hunc vel obiter tantum adſpicimus, patet, illum morbo laborare. Habitus ejus macilentus manifeſte indicat, aliquam ſubeſſe cauſam, quæ totum corpus conſumit; atque reſpirandi modus facit, ut pectus hujus cauſæ ſedem eſſe, ſine dubio ſtatuamus, quamvis ipſius ægri relatio ad aliam ſuppoſitionem ducere videretur; nam dicit, ſe, duabus circiter ante admiſſionem ſeptimanis, gravi ſanguinis emeſi laborâſſe. Hinc igitur ſuſpicio oriri poſſet, cauſam morbi in ſtomacho potius, quam in pulmonibus, eſſe; vel (ut ita dicam) præcipuam partem morbi, quo hic æger laborat, Hæmatemeſin eſſe potius, quam Hæmoptyſin. Verum hic notandum eſt, ægros hos morbos minus accurate ab invicem diſcriminare; nam omnem fere præternaturalem evacuationem ex ore ad vomitum referunt; atque in hoc caſu præcipue errori locus eſt, quando per vomitum ſanguinis exſcreatio promovetur. Hunc ægrum autem revera ſanguinem exſcreatione ejicere,

re, inde liquido patet, quod in ſputis, e pulmonibus per tuſſim ejectis, etiam appareat.

Itaque aſſumi poteſt, ægrum in eo errare, quod ſe ſanguinem vomitu ejicere exiſtimat, præcipue cum reputamus, Hæmatemeſin valde eſſe raram, ac eam plerumque ut aliorum morborum ſymptoma tantummodo occurrere. Igitur hanc ſanguinis evacuationem prorſus tanquam Hæmoptyſin ſpectare vellem; quod & ex aliis ſymptomatibus, quibus ſtipatur, præſertim ex tuſſi, veriſimilius fit. Equidem fieri poteſt, ut tuſſis Hæmatemeſin, æque ac alium morbum, comitetur; ſed ad eam nequaquam, ut ſymptoma peculiare, vel characteriſticum, pertinet; e contrario nunquam non Hæmoptyſin comitatur; ac neceſſe eſt, ut ſymptoma hoc quemlibet morbum, qui aliquam in pectore congeſtionem conjunctam habet, comitetur.

Verum notandum eſt, tuſſim in Hæmoptyſi diverſos habere gradus. Aliquando brevi tantum durat, & titillans, at non gravis, eſt; atque talis ad nullam aliam cauſam, præter irritationem, a ſanguine in veſiculis aëreis natam, referenda eſt. Sic forſitan tuſſis ſeſe plerumque habet; atque hinc in quibusdam ex optimis definitionibus Tuſſiculæ titulo inſignitur. Quando Hæmoptyſis tali tuſſi ſtipatur, eam ut peculiaris ad pulmones determinationis, vel univerſalis plethoræ, effectum conſiderare licet; ac hæ-

hæmorrhagiam, quæ tunc adeſt, ſemper ut activam, pendentem ſcilicet ab actione ipſorum vaſorum ſanguiferorum ad rupturam usque adauctâ, & non ut provenientem a rupturâ natâ ex aliis cauſis, neque ut ſanguinis evacuationem ordinario ſolummodo circulationis impetu productam, ſpectare oportet.

In hujusmodi activæ hæmorrhagiæ caſibus, præter tuſſis indolem, morbus per alia habitus plethorici indicia diſcernitur, præcipue per vultus ruborem, generalemque coloris nitorem, per ſenſationem ponderis, & oppreſſionis, atque imprimis per id, quod diſpoſitio ad hæmorrhagiam appellatur, proclivitatem ſcilicet ſanguinis per alias partes, æque ac per pulmonum vaſa, evacuandi. Cæterum, licet hæc omnia olim exſtiterint in hoc caſu, nunc ſaltem deſunt; atque tuſſis hic diſtinguitur frequentiâ, & violentiâ.

Fieri poteſt, ut ſanguis e pulmonibus per paſſivam, æque ac per activam, hæmorrhagiam ejiciatur; ac inter alias vaſorum rupturæ cauſas tuſſis violenta merito numeratur. Igitur quæſtio cujusdam momenti oritur, ad utrum ſcilicet genus hujus ægri hæmorrhagia referenda ſit? & fatendum eſt, ex tuſſis indole, ſimul cum præſenti habitus ſtatu, me nunc ſaltem, utcunque res olim fuerit, eam tanquam paſſivam conſiderare. Verum quidem eſt, præter dyspnœam, quæ a veſiculis aëreis, alienâ materiâ repletis, provenit, hunc ægrum de dolore pectoris conqueri,

qui fortaſſe pro maximo indicio adauctæ actionis, vel, uti dicitur, niſus hæmorrhagici, nimiam evacuationem excitantis, haberi poteſt. Sed notandum eſt, dolorem, æque ac tuſſim, diverſi eſſe generis; atque rationi non incongruum videtur, dolorem hic ab oppreſſione, ac generali anxietate, ſolummodo oriri, præſertim cum non obſervetur ullâ caloris ſenſatione ſtipari, quæ fere ſemper peculiarem iſtam adauctam actionem comitatur.

Sed, tametſi his de cauſis hæmorrhagiam in hoc caſu nunc, tanquam paſſivam, ſpectare liceat, non inde tamen concluderem, eam ita ſemper fuiſſe; nam alio incipiens modo, vaſorum debilitatem, atque ſtabilem tuſſis cauſam, inducere potuit. Morbi continuatio, æque ac hæmorrhagiæ magnitudo, vomitus ſpeciem præbens, hujus rei ſuſpicionem præbent. Quando autem cauſam morbi, quatenus obvia eſt, reputo, fortaſſis concludere poſſum, eam ab initio ejusdem, ac nunc, indolis fuiſſe.

Sed nunc forſan parum refert, de primario ſtatu morbi hujus ægri inquirere, quoniam tractandi modus ſine dubio præſenti ejus conditioni accommodandus eſt; atque quod ad hanc attinet, alia majoris momenti quæſtio occurrit, num ſcilicet ægrum, ut Phthiſi Pulmonali obnoxium, nec ne, conſiderare liceat?

Tres olim cauſas indicavi, quæ Phthiſi originem præbent; *Catarrhum* ſcilicet, *Tuberculum*, & *Hæmorrha-*

morrhagiam. Igitur, quandocunque Hæmoptyſis adeſt, eſt, cur Phthiſin Pulmonalem, ut ſequelam, timeamus; & in morbo, qui tam clanculum progreditur, unumquodque ſymptoma aliquod ejus indicium prodens, peculiarem attentionem meretur.

Quædam in hoc caſu Phthiſis ſuſpicioni locum præbent; atque credere licet, tuſſim tamdiu, tantâque ſævitiâ, ulceratione, vel vomicâ, pulmonum hac ex cauſâ natâ, ſuſtentatam eſſe. Eodem quodammodo tendit & exſcreationis ſtatus; nam ſuſpicandi locus eſt, materiem flavam, & viſcidam, hic per ſputa ejectam, indolis eſſe purulentæ. Fatendum autem eſt, nos aliquâ hic difficultate laborare, eo quod nullam certam diagnoſin pus inter & mucum habeamus. Bene notum eſt, utramque materiæ dotem, flavedinem ſcilicet & viſciditatem, hoc in caſu relatas, ad mucum ſtrictim pertinere; ac poſteriorem etiam muco magis, quam materiei purulentæ, propriam eſſe; hic autem ſaltem uſitatiſſimis ex indiciis puris quædam, præſertim odor, & ſapor fœtidus, deſunt; quare indicia Phthiſis, ea ſaltem, quæ ab exſcreatæ materiæ conditione deducuntur, deeſſe puto: ac ex viſciditate muci tantummodo tuſſis ſævitiam, & frequentiam, forſitan explicare poſſumus.

Præterea notandum eſt, & alia Phthiſis characteriſtica indicia abeſſe. Quamvis male ſeſe ha-

habeat reſpiratio, non tamen obſervatur præcipue ingraveſcere, quando alterutri lateri incumbit. Pectoris dolor nullam peculiarem partem continuo obſidet; &, tametſi pulſus ejus celer ſit, his tamen regularibus exacerbationibus non ſtipatur, quæ febrem hecticam diſtinguunt. Præterea, ipſa morbi duratio Phthiſis ſuppoſitioni adverſatur. Antequam ad nos accederet, jam triennium hæmorrhagiæ obnoxius fuit; verumtamen, ſi Phthiſis incepiſſet, quum hæmorrhagia graviſſima eſſet, concludere liceret, fore, ut jam interemptus eſſet æger: ſed bene notum eſt, hæmorrhagiam ex pulmonibus citra Phthiſin non infrequenter occurrere; nam Phthiſis ſequela eſt ulcerationis, & ſuppurationis vaſorum, rupturam inſequentium; atque ejusmodi ſuppuratio, ut ex depravatâ conditione pulmonum natâ potius, quam neceſſarius rupturæ vaſorum effectus, conſideranda eſt: cum talis habitus non adeſt, ruptura ultro conſolidatur.

Ex his igitur omnibus colligere pronus ſum, hunc ægrum nondum ſaltem Phthiſi laborare; ac propterea ſpes ſanitatis reſtituendæ major eſt, quam cæteroquin dicere liceret. Ad ſummum tamen, hic morbus, ut indolis admodum periculoſæ, ſpectandus eſt. Ita utique ſeſe habet, & quum leviſſimus eſt. Sed præcipue periculoſus eſt, quando diu admodum duravit. Cum itaque res ſic ſeſe habeat, vix exſpectandum

dum eſt, nos recurſum ex leviſſimâ etiam cauſâ prævenire poſſe; atque ægro temporarium levamen præbere ultimum eſt, ut opinor, quod fieri a nobis poteſt. Summopere timeo, eum hoc morbo, vel ejus ſequelis, interemtum iri; &, quamquam eum nunc a Phthiſi Pulmonali liberum eſſe puto, brevi tamen hic morbus ſupervenire poſſet.

Noſtrâ tamen refert, conſilia inire, quæ ad hunc morbum removendum tendunt. In ejusmodi caſibus modus, quo hoc efficitur, in genere, & maximâ ex parte, ab ægri conditione pendere debet. Etiam quando hæmorrhagia paſſiva, & ſanguinis moles in corpore haud morboſe adaucta eſt, aliquando neceſſarium eſt, circulationis impetum imminuere; nam etiam conſuetus ſanguinis impetus ſuſtentandæ hæmorrhagiæ par eſt, atque eo infra normam naturalem redacto, alia remedia felicius agent. Licet autem impetus in genere talis ſit, ut quævis conſilia præcludantur, neceſſe tamen eſſe poteſt, in hunc finem impetum præcipue verſus pulmones imminuere, idque, vel ibi actionem vaſorum minuendo, vel determinationem ad alias partes promovendo.

Variis jam memoratis indicationibus ſatisfaciendi ſcopo venæſectio, cathartica, veſicatoria, fonticuli, emetica, & multa alia, pro re natâ, utiliter adhibentur. In quibusdam autem caſibus nulla ex his in uſum trahi queunt,

præſertim ſi æger, ut in hoc caſu, admodum eſt exhauſtus. Impetus diminutio haud ulterius evacuantibus tentanda eſt, licet adaucta pulſus celeritas morboſum ejus incrementum demonſtraret. Eum uſu refrigerantium moderari, ultimum eſt, quod fieri poteſt. In tali caſu præcipuus eſſe debet ſcopus, vaſa hiantia conſtringere, omnemque amovere cauſam, quæ novæ rupturæ originem præbere poſſet.

His principiis confidenti ſpes mihi erat huic ægro temporarium ſaltem levamen conciliandi; atque præcipuam fidem in medicamento repoſui, quod vaſa conſtringere poſſet. Huic ſcopo multa diverſa adſtringentia adhibere potuiſſem; ſed nullum Infuſo Roſarum præſtantius eſſe putavi. Non quidem exiſtimo, ejus virtutem a Roſarum viribus pendere, tametſi fatendum ſit, eas qualitate adſtringente præditas eſſe, hancque formulam tali copiâ ingredi, ut maximos, quos edere poſſunt, effectus exſpectare liceat; nam minime dubitandum eſt, nobis alia adſtringentia ex regno vegetabili adhuc potentiora ſuppetere; ac credo, præcipuam hujus medicamenti virtutem ab Acido Vitriolico, quod hanc formulam ingreditur, oriri. Verum, dum id ut adſtringens adhibebam, ſperabam etiam, tuſſim eo mitigatum iri; atque hunc in finem cum Infuſo Roſarum, mucilaginem Gummi Arabici, Syrupum ſimplicem, ac Hyſſopi aquam conjunxi.

Hæ

Hæ materiæ per ſe mixturam mucilaginoſam conflabant, ac, licet cum adſtringentibus conjunctæ eſſent, non ideo tamen arbitrabar eas, virtutem lubricandi, ac muniendi partes contra irritationem, perdituras eſſe. Itaque ſperabam, ſic fieri poſſe, ut tuſſis, quam ut præcipuam rupturæ cauſam conſiderabam, mitigaretur.

Sed, dum hanc ſpem in hac præſcriptione repoſui, nimime prudens eſſe putavi, ei ſoli confidere; &, quamvis hic evacuantia, ad circulationis impetum reprimendum, tentare non auderem; tamen, quum ægri pulſus centies minuti ſpatio micaret, neceſſarium eſſe judicavi, aliquid hoc reſpectu facere. Hoc igitur conſilio Nitrum, ut refrigerans, adhibui, ac, quo melius ſtomacho conveniret, ei Gummi Arabicum addidi, ex quo etiam, ob qualitatem demulcentem, bonos exſpectabam effectus.

Horum medicamentorum prius, mixtura ſcilicet, maximâ ex parte, vota expleviſſe videtur. Nam, quum æger eo aliquod tempus uſus eſſet, non ſolum tuſſis remiſit, ſed etiam nullum dein ſanguinem exſpuit. Poſterior tamen præſcriptio circulationis ſtatum non multum affeciſſe viſa eſt; ac, cum æger ab eâ tormina nata quereretur, eam conſulto omiſi.

Quamdiu mixturâ uſus eſt, duas nimirum

circiter ſeptimanas, nihil ſanguinis exſpuit. Tuſſis tamen adhuc gravis erat, ac præcipue decubitus tempore. Quoniam igitur nullam vidi urgentem neceſſitatem adſtringentia adhibendi, tuſſim potius mitigandam arbitrabar: quem in finem, Infuſo Roſarum omiſſo, anodynum præſcripſi. Verum qualis fuerit ejus effectus, nondum compertum habeo, ſed ſpero, id tuſſim aliquatenus imminuiſſe; & ſi hoc fit, ſaltem major ſpes eſt, eum non ulterius hæmorrhagiæ obnoxium fore. Hoc tamen, ut arbitror, vix exſpectandum eſt; ſed, ſi hæmorrhagia redierit, niſi circumſtantiæ multum mutentur, veriſimiliter eadem, quæ antea, conſilia ſequar.

Sequela.

Hic æger poſtea hæmoptyſis recurſum habuit; ſed qui levis tantummodo fuit: atque, nullis aliis, præter jam præſcripta, remediis adhibitis, e Valetudinario circa Auguſti initium dimiſſus fuit. Eo tempore vires admodum reſtauratæ, omniaque alia ſymptomata magnopere allevata, fuerunt.

* *
*

CASUS

CASUS XXIV.

Obſervationes de violentis doloribus Ventriculi & Inteſtinorum, ex flatibus ortis, ac uſu Aſæ Fœtidæ ſanatis.

R. M. Vir, trigeſimum octavum ætatis annum agens, in Valetudinarium admiſſus die 14to Junii 1777, colore ſubnigro, & mediocri ſtaturâ, de violentis circa cartilaginem enſiformem doloribus queritur, qui inde deorſum per abdomen tendunt. Hujus doloris inſultus haud admodum diu continuant; ſed brevibus intervallis magnâ cum ſævitiâ recurrunt. Semper aliquantum remittunt, flatibus ſurſum vel deorſum emiſſis; atque dicit æger, ſe poſt ſumptum cibum multos flatus eructare: crebris etiam borborygmis, cum topicis inteſtinorum diſtenſionibus ex flatibus ortis, laborat.

Quando hic dolor admodum gravis eſt, ſævo capitis dolore, cum levibus horroribus, afficitur æger. Sed, licet hæc ſymptomata ſolummodo comitentur admodum ſævos doloris inſultus, moleſtia tamen circa cartilaginem enſiformem quadantenus conſtans eſt; ac, tempore

pore matutino, etiam absque dolore admodum ſævo, aliquam cephalalgiam patitur. Ejus pulſus ſeptuaginta circiter vibrationes minuti ſpatio perficit: alvus regularis; ac noctu bene dormit; ſed appetitus imminutus eſt.

His ſymptomatibus tres annos non leviter afflictus fuit. Hyeme aliquantum mitiores ſunt; ſed vere ſemper adauctâ ſævitiâ recurrunt. Morbum ſuum ad icterum refert, quo undecim circiter abhinc annis laboravit, quia ab eo tempore nunquam ab inteſtinorum affectionibus prorſus liber fuit, quamvis non niſi poſt memoratam periodum eam, quam nunc habent, faciem induerunt.

Diverſis medicamentis uſus eſt; ac præcipue nuper Andersoni pilulas per aliquod tempus ſumpſit, ſed abſque ullo levamine.

℞. *Aſæ fœtidæ.*
Aloes Socotrinæ,
Saponis Hiſpani, ſingulorum drachmam unam.
Cum Syrupo ſimplici fiat maſſa, dividenda in pilulas granorum quinque. Capiat grana decem omni veſperâ horâ ſomni.

Die 24to Junii. Pilulæ plerumque ſemel, vel bis, quotidie alvum reddunt laxam. Minus jam flatibus laborat; ſed adhuc de anxietate circa ſcrobiculum cordis queritur, quam nunc tamen paulo inferius eſſe, quam olim, exiſtimat. Minus etiam cephalalgiâ laborat; ſed adhuc de debilitate queritur.

Con-

Continuentur pilulæ, ut antea.

Die 1mo Julii. Pilulæ jam nullum alium effectum exſerunt; niſi quod alvum leniter movent. Cephalalgia mitior permanet; & minus de debilitate queritur. Sed adhuc doloribus in imo ventre laborat.

Continuentur pilulæ, ut antea.

Die 8vo Julii. Ultima pilularum doſis quatuor dejectiones liquidas effecit. Per aliquod jam tempus nullum habuit recurſum ſævi doloris circa ſcrobiculum cordis; atque omnia alia ſymptomata admodum levata ſunt.

Continuentur pilulæ; ſed capiat grana quinque ſolummodo ſingulis noctibus.

Die 15to Julii. Pilulæ adhuc alvum modice laxam reddunt, quamquam unicam tantum omni veſperâ ſumit. Liber permanet ab omni recurſu ſævi doloris ad cartilaginem enſiformem, ac parum priſtinis doloribus afficitur.

Dimittatur, ſed pilulas pro re natâ capiat.

Animadverſiones in hunc caſum die 1mo Auguſti propoſitæ.

De nomine morbi, quo hic æger laborat, aliqua difficultas occurrit; ſed, quod ejus naturam ſpectat, parum eſſe dubii, exiſtimo. Dolor in abdomine maximam ſymptomatum, quibus æger laborat, partem conſtituit; qui dolor ita ſe habet, ut a diverſis visceribus oriri poſſit; ſed præcipue conjicere licet, ejus ſedem in diverſis eſſe partibus tubi inteſtinalis. Ventri-

triculus, vel magna coli flexura, doloris forſan ſedes eſt. Sed ubicunque hæc ſit, eum non alicujus ſtabilis cauſæ effectum eſſe, ex duobus argumentis apparet. Primo, non conſtans eſt, ſed per intervalla recurrit; ac ſecundo non manet in loco, quo oritur, ſed inde deorſum propagatur per alias abdominis partes. Huc accedit, parte, in qua plerumque incipit, maximâ curâ examinatâ, nullum ſtabile malum inveniri poſſe, ac ægrum, flatibus exploſis, magnopere allevari.

Hæc ultima circumſtantia non tantum probat, dolorem a nullâ fixâ cauſâ pendere, ſed etiam nos ad veram ejus cauſam, ſin minus, ad probabilem, ducit; & exiſtimo, vix dubitari poſſe, flatus tubo inteſtinali incluſos ei cauſam immediatam ſuppeditare. Imo, ut opinor, nobis paulo ulterius progredi licet, ac concludere, hos flatus morbum inferre ex eo, quod in ventriculo incarcerentur. Levamen, quod eructationes, poſt cibum ſemper occurrentes, afferunt, hanc rem ſatis probare videtur. Igitur puto, graviſſima in hoc caſu ſymptomata immediatum eſſe effectum flatuum ventriculo incluſorum. Verum præterea aliis ſymptomatibus laborat, præcipue cephalalgiâ, & horroribus. Sed bene notum eſt, hæc mala ſæpius ſequelas eſſe ventriculi ſe male habentis; & ſaltem veriſimillimum eſt, hoc in caſu noſtro locum habere; nam capitis dolor, ac vertigo,

oc-

occurrere obſervantur tantummodo, cum ſævus adeſt ex flatibus dolor. Itaque exiſtimo, flatus in ventriculo haberi poſſe pro cauſâ omnium ſymptomatum, quibus hic æger laborat.

Sed, ut rite intelligatur hujus morbi natura, neceſſe eſt conſiderare, unde flatus in tubo inteſtinali oriantur; quod duarum tantummodo cauſarum effectus eſſe poteſt. Nam oriantur, oportet, vel ab ingenti aëris copiâ ex cibo quotidie ingeſto extricatâ; vel ab alimenti genere, ex quo nimiâ quantitate evolvi poteſt. In caſu hoc, ut opinor, eſt, cur credamus, utramque cauſam quadantenus conjunctam eſſe. Ex peculiari ejus ſævitiâ tempore verno concludi poteſt, flatus alimenti effectum eſſe; bene namque notum eſt, flatulenta vegetabilia tunc maximâ copiâ uſurpari. Sed credibile eſt, hanc cauſam nec unicam, nec principalem eſſe, aliter enim in hoc ægro non tanto gravior, quam in aliis, occurreret. Concludere igitur licet, hic etiam adeſſe peculiarem ventriculi ſtatum, qui flatuum extricationi maxime faveat. Verum bene notum eſt, hanc ſequelam imminuti toni eſſe, unde cibus veriſimiliter, ac præcipue in ventriculo, diutius retinetur, quam aliter fieret. Itaque juxta hanc ideam, ſupponere licet, veram morbi indolem in chronicâ ventriculi debi-

litate conſiſtere; &, quod ad me attinet, eum, absque dubio, Dyſpepſiam nuncuparem.

Verum concedendum eſt, characteriſtica illius morbi ſigna, prout ab optimis Noſologis definitur, hic non adeſſe: ſed, ſi hoc titulo ventriculi ægritudines deſignamus, hæ, ventriculi dolore, cum flatibus, ac eructationibus, ſatis hoc in caſu notantur.

Obſervationes circa prognoſin jam magnâ ex parte præcluduntur, cum æger, a morbo liber, dimiſſus fuerit. Verumtamen obſervare licet, morbum citius feliciter terminatum eſſe, quam exſpectaveram. Nequaquam ſane eum periculoſum eſſe judicavi, ſed credidi fore, ut obſtinatus evaderet; nam, quamvis non multa ſymptomata adfuerint, ad ingentem tamen ſævitiam pervenerant, quemadmodum ſatis probant horrores, cephalalgia, aliaque ſymptomata. Sed, præterquam quod ſæva erant, diu etiam adfuerant; hoc etenim morbo tres annos laboravit, eodem prope gradu, ac quum ſe noſtræ curæ commiſit; & quibusdam ſymptomatibus undecim jam ante annos afficiebatur. Credere igitur licet, ventriculi conditionem, quam hic adeſſe ſtatuimus, quodammodo in ſyſtemate radices egiſſe, eamque non facile mutari poſſe. Hisce nunc autem adden-

dum

dum eſt, me, licet hic æger dimiſſus fuerit, a ſymptomatibus liber, non exiſtimare, morbum penitus ſanatum eſſe; ſed credere, ejus in ſyſtema effectus, quamvis cauſa remaneat, per aliquod tempus removeri poſſe ita, ut æger ſic perfecte, ſed tamen tantummodo pro tempore, ſanatus ſit.

Hoc ſummum eſſe puto, quod in hoc caſu evenire queat, ſed vel id etiam magni faciendum eſt; &, niſi nova aliqua cauſa excitans accedat, ſanatio radicalis eſſe poteſt. Tali quippe temporario levamine ventriculi tonus magis reſtitui poteſt, quam ex cujusvis medicamenti uſu.

Proxime inquirendum eſt, quatenus hoc levamen a conſiliis, quæ in hoc ægro tractando ſecuti ſumus, provenerit? Secundum ideam, quam de morbi naturâ protulimus, præcipua curandi indicatio in debito tubi inteſtinalis tono reſtituendo, conſtitit; quod fieri poſſe judicamus, alterutro ex duobus ſequentibus modo, uſu ſcilicet remediorum, quæ ventriculi tonum ſtatim adaugent, vel amovendo cauſas, quæ ad eum ulterius debilitandum tendunt. Poſteriori modo curationem perficere conatus ſum, atque hunc in finem Aloën & Aſam Fœtidam ſimul adhibui. Vi horum medicamentorum antiſpasmodicâ fore ſperavi, ut aër non ultra, ut antea, includeretur, atque ut eorundem ſtimulo ventriculi ac inteſtinorum actio ita

adaugeretur, ut remora & retentio cibi, aëris generationi anſam præbentis, præveniretur. Hoc medicamentum diverſis his conſiliis ſatis reſpondiſſe videtur; nam, dum lenis cathartici effectus edidit, æger, eodem tempore, ab omni incommodo ex flatibus orto liberatus fuit; atque dolor mitior redditus locum mutâſſe viſus eſt; nam cito poſt, eum inferiorem inteſtinorum partem occupaſſe dixit; ac medicamento non diu continuato dolor penitus evanuit. In hoc rerum ſtatu non neceſſarium eſſe credidi, ut æger aliquod aliud medicamentum ſumeret, vel nos ultra viſitaret. Igitur dimiſſus fuit, ac mandatum illi eſt, ut nos certiores faceret, ſi morbus illum rurſus invaderet. Sed exinde eum ſæpius vidi, atque adhuc ſecundâ valetudine fruitur.

Sequela.

Hic æger, ſaltem quantum cognoſcere potuimus, nullum exinde morbi recurſum habuit.

CASUS

CASUS XXV.

Obſervationes de Lumbricis, in tubo inteſtinali nidulantibus, Calomelane, & Tincturâ Jalappæ, eliminatis.

J. A. Puer, tertium ætatis annum agens, in valetudinarium admiſſus die 10mo Junii 1777, nuper lumbricos frequenter ejicere obſervatus eſt, qui in genere circiter octo, vel decem, pollices longi ſunt. De dolore in abdomine, ac pectore, queritur, qui non conſtans eſt, ſed brevibus intervallis magnâ ſævitiâ recurrit. Sæpius nares fricare obſervatur. Frequenter teneſmo laborat, crebroque urinam reddere, ſed fruſtra, conatur.

Noctu ſatis bene dormit; ſed magnâ ſiti laborat, ac appetitus multum imminutus eſt. Alvus plerumque regularis eſt; ſed, cum adeſt teneſmus, materiam mucoſam, ac tenacem, ejicit: in urinâ ejus nihil præter naturam occurrit.

His ſymptomatibus tres jam circiter ſeptimanas laboravit. Mater nullam noſcit cauſam, ad quam referri poſſunt; atque nullis medicamentis, unicâ exceptâ Rhei doſi, uſus eſt æger.

℞. *Calomelanos granum unum,*
Conſervæ Roſarum quantitatem ſufficientem.
Fiat bolus horâ ſomni ſumendus. Nec non
℞. *Tincturæ Jalappæ ſemunciam,*
Syrupi ſimplicis uncias duas. M.
Capiat ſemunciam cras mane; & repetatur ſingulis horis, donec ſupervenerit Catharſis.

Die 13tio Junii. Bolus bene ventriculo convenit, ac catharticum eum acriter purgavit. Sub ejus operatione duos ingentes vermes ejecit, quorum ſinguli decem circiter pollices longitudine æquabant.

Repetatur bolus, ut antea, veſpere die Solis, & catharticum mane die Lunæ.

Die 17mo Junii. Medicamenta, ut præſcriptum fuit, non accepit. Nulli vermes, poſt diem 13ium, ejecti ſunt; ac adhuc de abdominis dolore multum queritur.

Habeat medicamenta, antea præſcripta.

Die 20mo Bolum, & catharticum, uti præſcriptum fuit, ſumpſit; quorum poſterius validos effectus edidit, unumque magnum vermem ejecit; alius ad anum obſervatus fuit, ſed in inteſtinum receſſit.

Repetantur bolus, & catharticum, ut antea, bis in ſeptimanâ.

Die 1mo Julii. Medicamenta bis, poſtquam ultimo ad nos acceſſit, ſumpſit. Primum cathar-

tharticum quinque vermes, ultimum ſex, expulit, quorum ſinguli octo circiter pollices longitudine æquabant. Nunc de torminibus non queritur; ſed nonnunquam nares fricare, ac, quum dormit, dentibus frendere, obſervatur.

Repetantur medicamenta, ut antea.

Die 11mo Poſtquam ultimo ad nos acceſſit, medicamenta bis ſumpſit. Primum catharticum duos vermes ejecit, ſed ultimum votis non reſpondit.

Repetantur medicamenta, ut antea.

Die 29no Unumquodque catharticum tres vermes ejecit; eorum unus undecim circiter pollices longus fuit; reliqui minores erant. Intra octo dies nulla medicamenta ſumpſit, nullique vermes interea apparuerunt. Nunc de torminibus non queritur, & reliqua ejus ſymptomata admodum ſunt imminuta.

Continuentur medicamenta, ut antea.

Animadverſiones in hunc caſum, die 1mo *Auguſti propoſitæ.*

Hujus ægri caſus nobis exemplum præbet morbi, de quo, ut opinor, minime dubitari poteſt. Præcipua ſymptomata, quæ hic occurrunt, dolor ſcilicet pectoris, ac abdominis, a diverſis cauſis oriri poteſt; ſed, quando huc accedit, ægrum nares fricare, credi poteſt,

 hunc

hunc a vermibus excitari; atque hanc ſuppoſitionem extra dubium ponit vermium per alvum eliminatio.

Cum igitur ſic certo ſciamus, vermes in canali inteſtinali adeſſe, nequaquam dubitari poteſt, quin cunctis ſymptomatibus cauſam præbeant; atque hic caſus oſtendit, quam levis fides, quoad vermium diagnoſin, in peculiaribus ſymptomatibus reponenda ſit, quæ a quibusdam ſpectantur, ut certum indicium eorum præſentiæ, vel abſentiæ, exhibentia. Ex illis multa hic deſunt, præcipue labii ſuperioris intumescentia, cui nonnulli tantum confidunt; & quæ, quemadmodum in ſcrophulis ſæpius occurrit, cum nulli vermes adſunt, ita fieri poſſe videtur, ut abſit, quando ii revera canalem inteſtinalem obſident.

Nulla hic cauſa peculiaris vermium memoratur. Verum concludere licet, eorum ova, vel prima rudimenta, caſu in canalem inteſtinalem veniſſe, atque eos ibi in idoneo nido generatos eſſe. Vermium ſymptomata præcipue tempore verno occurrunt, quando recentia vegetabilia in cibum ſumuntur, unde ovis facilis ingreſſus patet: ac veriſimile eſt, ejusmodi cauſam hic locum habuiſſe.

Quod hujus caſus eventum ſpectat; felicem, ut puto, exitum exſpectare licet; nam, quamvis ex iis, quæ jam vidimus, concludere poſſimus,

mus, multos vermes in inteſtinis adeſſe, nulla tamen illi ſæva ſymptomata intulerunt: & ; quum hæc ſymptomata non diu adfuerant, antequam æger ad nos acceſſit, hactenus ſaltem medicamentis adhibitis ceſſerunt. Spero igitur, ſymptomata, quibus nunc affligitur, brevi feliciter terminatum iri; præcipue cum vermes, qui huic morbo cauſam præbent, Teretes, vel ut alii volunt, Lumbrici ſint, qui inter omnes alios facillime debellantur.

In hoc caſu, præcipua indicatio procul dubio ipſorum vermium, ac ovorum, expulſionem reſpicit. Verum, cum vitâ, ac vigore, gaudeant, locum ſuum tenere conantur: hinc, antequam expellere eos conamur, illos debilitari multum prodeſt. In hunc finem varia remedia vulgo uſurpantur; atque ad vermium vim vitalem imminuendam, vel abolendam, decoctum Corticis Geoffreæ Inermis, aliaque medicamenta, quæ efficaciſſima habentur, hic uſurpare potuiſſem; ſed in ægro tam teneræ ætatis nolui periculum facere remedii, quo nunquam antea uſus eram. Itaque ad vermes necandos, vel eorum vires debilitandas, calomelas, ac ad eos expellendos, Tincturam Jalappæ, ſyrupo ſimplici conjunctam, adhibui. His medicamentis conſtanter uſi ſumus, ex quo hic æger noſtræ curæ fuit commiſſus; ac, maximâ ex parte, eorum effectus nos minime

feſellerunt. Quæque doſis plures vermes ejecit; atque nunc vermium ſymptomatibus nullo modo affici videtur. Spero igitur, paucos, vel nullos, vermes reſtare; ſed cum tamen, quando cathartico utitur, adeſſe videntur, medicamenta non intermittam, ſperans, mihi non neceſſarium fore, medicamenta mutare, ad curationem radicalem in hoc caſu perficiendam; atque eum cito dimiſſum iri.

Sequela.

Hic æger medicamenta, initio præſcripta, per aliquod tempus adhuc ſumpſit; ac, quum nulli amplius vermes prodirent, nec ſymptomata, quibus laboraverat, reverterentur, dimiſſus fuit, & adhuc prosperâ valetudine fruitur.

CASUS XXVI.

Obſervatio de Verme ex Tæniarum genere, quinquaginta circiter pollices longo, è canali inteſtinali, radice Filicis Maris pulveriſata, dato dein cathartico, eliminato.

M. C. Mulier, ſeptuageſimum tertium ætatis annum agens, in valetudinarium admiſſa die 17mo Septembris 1777, vivos vermes

mes frequenter alvo ejicit, qui Tæniæ fragmenta eſſe apparent. Hæc fragmenta variæ ſunt magnitudinis: alia decimam pollicis partem latitudine non æquant, alia vero tres decimas partes excedunt: eorum craſſitudo duodecimam partem pollicis non ſuperat. Longitudine etiam variant; ſed raro ſunt ſemipollice minora, aut pollice majora. Ea omnia albi ſunt coloris, ac manifeſto ex diverſis juncturis conſtant.

De doloribus in latere dextro queritur, qui frequenter ſedem mutant: atque magnâ debilitate cruris dextri laborat; hæcque debilitas tam conſtans eſt, ut clauda incedat; ſed aliquando tantopere ſubito augetur, ut in plateis cadat: ejusmodi inſultus magna circa ventriculum ægritudo præcedit. Brevi tamen cruris affecti vires iterum quodammodo recuperat, ita ut ambulare, quamvis non ſine difficultate, poſſit. Aliquando in ſiniſtro abdominis latere ſenſationem temporariorum, & localium, tumorum percipit, qui illi a flatu oriri non videntur.

Pulſus, calor, ac appetitus, naturales. Lingua munda; ſed alvus plerumque adſtricta eſt, ac noctu male dormit.

Hujusmodi fragmenta jam triginta annos ejicere obſervata eſt; ac per totum hoc temporis ſpatium, quibusdam ex jam enarratis ſymptoma-

matibus, præcipue doloribus abdominis, laboravit: ſed cruris debilitas duodecim circiter abhinc menſibus primo ſupervenit.

Multorum Medicorum olim conſilia petiit, multisque medicamentis, præcipue ſtanni pulvere, ac Rhei tinctura, uſa eſt. His ultimo enumeratis medicamentis diverſis temporibus tres vermes ejusdem generis, ac nunc, ejecit; qui vel integri, vel ſaltem magna eorum fragmenta, fuere. Eorum unus centum circiter & quadraginta octo pollices, alter ſeptuaginta quatuor, ac tertius octodecim circiter; longitudine æquabat. Sed, poſtquam hi eliminati fuere, cito iterum exigua fragmenta, eodem modo, ac nunc, ejicere incepit; atque ab abdominis doloribus nunquam prorſus liberata fuit.

Capiat cras, horá ſeptimá matutiná, Pulveris Radicis Filicis non ramoſæ drachmam unam, ex cyatho aquæ puræ: nec non

℞. *Calomelanos, Gambogiæ, utriusque grana tria.*
Pulveris Cremoris Tartari ſescunciam. Syrupi ſimplicis quantum ſufficiat, M. Diligenter ſubigens, ut fiat electuarium; capiat circiter partem dimidiam cras, horâ undecimá ante meridiem, & poſtea capiat drachmam unam, ſingulis horis, donec ſuperveuerit catharſis.

Die

Die 23tio Septembris. Quia medicamentum præſcriptum ſtatim haberi non potuit, non niſi heſterno mane ſumptum fuit. Pulvis gravem ventriculi ægritudinem excitavit; ſed abſque vomitu, vel catharſi: catharticum effectus edere cœpit duabus circiter horis, poſtquam ſumptum erat, ac ſub ejus operatione multa Vermis fragmenta ejecit ægra, quorum maximum duos pedes longitudine, atque in omni parte tres prope tredecimas pollicis partes latitudine, æquabat: brevia fragmenta, maximâ ex parte, non tam lata erant, ac eorum unus in lineam deſiit, filum craſſitudine non excedentem. Cuncta fragmenta, ſimul ſumpta, quatenus colligi potuerunt, quinquaginta circiter pollices æquârunt. Hoc mane alia fragmenta ejecit, quæ mortua eſſe videbantur.

Repetantur medicamenta, ut antea, cras mane.

Die 30mo Septembris. Doſis pulveris, die 24to ſumpta, ægritudinem admodum magnam ventriculi excitavit; atque cathartici ope plures dejectiones habuit. Sed nulla Vermis fragmenta exinde vel ejecta, vel in fœcibus alvinis obſervata, fuerunt. Jam aliquot dies ab abdominis doloribus penitus libera eſt; atque nunc non niſi de cruris debilitate queritur. Nuper etiam non amplius tam ſubito virium defectus paſſa fuit acceſſiones, quibus antehac in cadendi periculum incurrebat.

In-

Intermittantur medicamenta, & illinatur oleum camphoratum femori dextro, omni veſperâ horâ ſomni.

Die 10mo Octobris. Adhuc de debilitate, ac quodam dolore in crure, & genu dextro, queritur. Sed ab abdominis doloribus libera manet, atque nulla amplius Tæniæ fragmenta apparuerunt.

Continuetur oleum camphoratum, ut antea.

Die 17mo Octobris. Nulla amplius Tæniæ fragmenta apparent; ſed crus eodem fere, ac antea, ſe modo habet.

Continuetur oleum camphoratum; nec non accipiat quotidie ictus electricos quatuor, ad gradum tertium; & eliciantur ſcintillæ electricæ e femore affecto.

Sequela.

Hæc ægra Electricitate paucas ſeptimanas uſa eſt, ſed naturalem cruris vigorem non recuperavit; quare, nullum ulterius levamen exſpectans, valetudinarium frequentare deſtitit. Sed quamdiu, poſt remedia ad Tæniam expellendam data, ad nos acceſſit, ab omnibus aliis ſymptomatibus libera manſit; ac plures menſes, poſtquam Valetudinarium frequentare deſtitit, nulla Tæniæ fragmenta per alvum eliminata obſervavit.

Animad-

Animadverſiones.

Quum hæc ægra non niſi poſt finem prælectionum caſualium æſtatis anni 1777 ad Valetudinarium venerit, nulla prælectio de ejus morbo habita fuit. Sed, quia hic caſus primus eſt, in quo Filicis pulvere contra Tæniam uſus ſum; &, quoniam in hac regione, quantum noverim, non multum uſurpatus eſt, ejus communicationem non ingratam fore exiſtimavi. Haud neceſſe eſt, ut obſervem, meam praxin in hoc caſu directam fuiſſe diſſertatione, Gallici Regis juſſu nuper editâ, circa medicamenta, a dominâ Nouffer contra Tæniam uſurpata; ſed hic caſus ſaltem ulterius confirmat, ejus medicamenti efficaciam, quam antea notam fecerunt multa experimenta, *Pariſiis* ſub clariſſimorum Medicorum auſpiciis inſtituta.

Nuper certior factus ſum, alteram editionem verſionis *Anglicæ* hujus diſſertationis, quam Cl. Samueli Foart Simmons, Medico expertiſſimo, acceptam referimus, brevi in lucem prodituram; atque audivi, eum multorum caſuum hiſtorias collegiſſe, in quibus hicce pulvis in *Britanniâ*, contra Tæniam Latam, ac Vermem Cucurbitinum, feliciter adhibitus fuit. Has hiſtorias alteri editioni ſuæ verſionis additurus eſt; ac ſperare licet, eas omnium Medicorum votis reſponſuras, quoad effica-

ciam, & innocentiam medicamenti, atque modum, quo feliciſſime adminiſtrari poteſt (*).

Duæ quæſtiones circa hunc caſum ſponte occurrunt: quatenus ſcilicet ſanatio perfecta, & radicalis, habenda ſit? atque quatenus pendeat a Filicis pulvere, quem domina NOUFFER ſuum ſpecificum appellat? Neutri forſan quæſtioni certum reſponſum dari poteſt. Sed, quod primam ſpectat, obſervandum eſt, me credere, Filicis pulverem non leves hic effectus edidiſſe. Minime tamen ignarus ſum bonorum effectuum, qui, ad Vermes cujusvis generis, vel quævis aliena corpora, ex tubo inteſtinali eliminanda, a fortioribus, ac draſticis, catharticis obtinentur, licet nullam virtutem ſpecificam poſſideant: & procul dubio hujus indolis eſt catharticum, quod Domina NOUFFER, poſt ſuum ſpecificum, ſumendum præſcribit. Catharticum, huic ægræ datum, eam acriter purgavit, quamvis doſis nequaquam tanta fuerit, ac domina NOUFFER commendat. Præterea etiam obſervare licet, non improbabile eſſe, quod Gummi Gutta alias, quam meri cathartici vires, poſſideat. Forſitan dum in corpus humanum ut catharticum agit, Tæniæ ve-ne-

(*) Hoc opuſculum jam a Cl. SIMMONS publici juris factum eſt; ac in eo caſus ſeptem memorantur, in quibus hoc remedium feliciter uſurpatum fuit.

nenum eſt. Saltem Gummi gutta, ſale Abſinthii conjunctum, magnopere celebratum eſt ad Tæniam ex inteſtinis expellendam; hoc nempe remedium eſt Cl. HERRENSCHWAND.

Ex his igitur diverſis argumentis ſupponere licet, Tæniam in hoc caſu cathartico ejectam fuiſſe. Sed, quum reputamus, Cl. HERRENSCHWAND Gummi gutta dediſſe multo majori quantitate, quam Domina NOUFFER commendat, vel noſtræ ægræ data fuit, atque Filicis pulverem per ſe magnam ventriculo ægritudinem excitâſſe, eſt, cur aſſumamus, vermis expulſionem magnâ ex parte hujus viribus deberi.

Quatenus hic morbus radicitus ſit curatus, majoris forſitan difficultatis quæſtio eſt: verum, quoniam omnia ſymptomata allevata fuerunt, ac multum temporis elapſum eſt, ex quo aliqua vermis fragmenta apparuerunt, ſpes eſt, ægram recurſum non ſubituram. Si autem reputamus, majora fragmenta uſu aliorum medicamentorum antea ejecta fuiſſe, non mirum videretur ſi aliqua ejus pars in inteſtinis maneret, unde iisdem rurſus ſymptomatibus obnoxia redderetur.

D. DARWIN, qui, cum hujus ægræ caſus tractaretur, in Valetudinario Adjutoris officio fungebatur, quique non ſolum in omnibus medicinæ partibus admodum verſatus eſt, ſed

etiam naturalis hiſtoriæ ſcientiâ magnopere pollet, primus hunc vermem inſpiciendi occaſionem nactus eſt. Eum invenit illius eſſe generis, quod à Cl. LINNÆO *Tæniæ Latæ* titulo deſignatur. Verum nulla indicia invenire potuit, præter hæc, quæ in caſus hiſtoriâ, ac ſubſequentibus relationibus, memorantur, unde vel probabiliter tantum conjici poſſet, utrum omnia fragmenta ad unicum tantum vermem, an ad plures, pertinuerant.

DE

DE LAUDIBUS GULIELMI HARVEI.

ORATIO

HABITA IN ÆDIBUS ACADEMIÆ MEDICÆ, PROPE AULAM COLLEGII REGII CHIRURGORUM EDINBURGENSIS.

Ipſis Calendis Aprilis 1778.

BINIS JAM ELAPSIS SECULIS AB IPSIUS NATALI,

AUCTORE

ANDREA DUNCAN, M. D.

Col. Med. Reg. Ed.; Soc. Med. Ed.; Phil. Ed.; Phil. Americ.; Med. Havn.; Socio: Ac Valetud. Edin. Med. Sen.

COLLEGIO REGIO

MEDICORUM LONDINENSI

HÆC QUALIACUNQUE

IN SOCII BEATISSIMI MEMORIAM

SUMMA VENERATIONE

DICAT

ANDREAS DUNCAN.

ANDREAS DUNCAN,

LECTORI

S.

Sequentes paginas, Lector Benevole, ex proprio penu nequaquam deprompſi. Tum verbis tum ſententiis Virorum illuſtrium ubique fere uſus ſum; atque ex illorum copiâ inopiam meam ſublevavi. Horum igitur haud mihi fas eſt, ferre honorem. Attamen ſi inceptis laudatio ſit decernenda, benevolentiam indulgentiamque tuam exoptare licebit. Mendas vel corrigas, vel condones, enixe precor. Molimina noſtra æqui bonique conſulas, oro obſecroque. Vale.

Edinburgi ex Ædibus
Academiæ Medicæ
Prid. Cal. Maji 1778.

Ex quo Illuſtriſſimus Harveus circularem ſanguinis motum novum jam in medicinâ fundamentum invexit, nihil mirum, ſi neoterici, diruto caduco ædificio, prope novam inſtaurandam curaverint artem medicam.

Bonetus.

DE LAUDIBUS GULIELMI HARVEI, ORATIO.

Medicinæ Doctores Ornatiſſimi,
Chirurgi ſolertiſſimi.
Artis ſalutiferæ Studioſi generoſiſſimi
Auditores denique humaniſſimi.

Nullâ re, ut præclarus olim obſervavit Philoſophus, homines ad Deos propius accedunt, quam ſalutem hominibus dando. Pulchrum igitur, imo honorificum eſſe, de arte medendi bene mereri, nemo certe inficias ibit. Atque bene meritos etiam laudibus proſequi haud abſurdum. Hodiernus vero dies luculentiſſima virtutum exhibet exempla; & latiſſimum Oratori videtur præbere campum, ubi diſcurrere liceat auditores oblectando, pariterque monendo. Volventibus enim annis denuo redit illuſtriſſimi Harvei dies natalitius. Bina jam elapſa ſunt ſecula, ex quo ſanguinis circulationis Inventor vitalem primo hauſit auram. An ullus magis laudibus affici meretur, quam ille, qui orationem inſtituit annuam in comme-

morationem aliorum, qui beneficiis ſuis in rem medicam claruerunt? cujus, quæſo, memoria ad feros etiam nepotes magis accepta descendere debet, quam illius, qui tot vivus peregit, tot mortuus perfecit?

Exſpectatis igitur forſan, quotquot adeſtis, auribus arrectis, animisque intentis, differentem protinus audire hodiernum concionatorem de primâ origine, ſummâ utilitate, atque denique poſt homines natos maximâ dignitate, inventi *Harveiani*. Non omnia tamen poſſumus omnes. Neque mihi nunc convenit in æquore magno ventis vela dare. Haud multis igitur nunc opus, cum in hoc ſermone de vitâ, inventis, ac meritis illuſtriſſimi HARVEI breviter in animo ſit diſſerere. Atque, ſi quantum cuperem, poſſem quoque, haud nunc deficeret oratoria commendatio. Non tamen dubitandum, quin apud cordatos molimina etiam laudi fuerint. Eſt quodam prodire tenus, atque in magnis ſaltem voluiſſe, ſi non datur ultra. Haud dubito igitur, quin noſtros defectus indulgentia veſtra facile excuſatos habebit, cum feſtinante atque impari calamo rem tantam aggrediamur.

Vos igitur, Auditores optimi, oro, obſecroque, cœptis adſpirate meis; favete linguis; atque benigne nunc accipite, quæ de viro celeberrimo in medium proferre decrevi.

Na-

Natus eſt Gulielmus Harveus, ſtemmate haud ignobili, *Folkſtoniæ*, in agro *Cantii*, ipſis Calendis Aprilis, anno poſt Christum natum milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo. Literarum humaniorum elementa in ſcholâ publicâ *Dorobernia* primum didicit. Exinde, annum agens decimum quartum, academiam *Cantabrigienſem* petivit. Poſtea apud exteras regiones medicinæ ſtudio incubuit. Inter alios doctores, apud gymnaſium *Patavinum* viri celeberrimi Fabricii ab Aquapendente prælectiones audivit. Studiorum curriculo tandem obito Medicinæ Doctor creatus eſt.

Laboribus academicis ita peractis, haud ſine induſtriæ atque ingenii laudibus, ſub proximi ſeculi initium, artem medicam exercere, docere, atque adaugere, *Londini* aggreſſus eſt. Annum agens circiter viceſimum ſextum, frequenti ſtudioſorum concurſui corporis humani ſtructuram expoſuit. Prælectiones ejus anatomicæ, eo tempore, propriâ manu exaratæ, in Bibliothecâ Muſei Britannici adhuc exſtant. In iis ſanguinis gyrum primus exploravit, detexit, patefecit. Rem tanti momenti etiam juvenis invenit, perfecit, edidit. Poſt paucos annos, exercitatio ejus, de motu cordis & ſanguinis, typis excuſa, publici juris facta eſt. Talibus argumentis hanc doctrinam ſtabilivit, ut nemo facile de veritate ejus dubitare potuerit. Inter eru-

eruditos & cordatos viros RIOLANUS, tunc in Academiâ *Pariſienſi* Profeſſor Regius, & LUDOVICI *decimi tertii* Medicus primarius, ei fidem fere ſolus non habuit. Experimenta tamen ratiocinationem cito ſuperant; atque opinionum commenta veritati tandem cedunt. Nemo igitur inventum *Harveianum* de ſanguinis circuitu nunc negabit. Atque, quod paucis quidem evenit, adhuc vivens novam hanc ſuam doctrinam ab omni ingenuo & ſapienti Medico ubique terrarum lubenter receptam videbat.

Haud deerant tamen apud æquales ejus quidam vituperatores, qui hoc inventum antiquisſimis etiam Medicis tributum volebant. Quo longius autem diſtat inſignis aliqua virtus, eo minus fulgore ùrit, nec tamen debilius lumen ſpargit. Ubi igitur hominum invidiam atque odium mors tandem extinxerat, ingenium admirabile HARVEI pulcrius multo enituit. Neque in præſenti ſeculo quisquam dubitare audet, quod de hoc oeconomiæ animalis vitali motu ante illum ne vel ſomniaverint Medici. Inſignem igitur impetravit coronam, unde prius nulli velarunt tempora docti.

Laudare autem inventum ejus pro eo, ac meretur, haud noſtrûm, nec tali auxilio nunc eget. Sufficiat dicere, quod philoſophiæ corporis humani fundamentum poſuit HARVEUS;

ac-

atque fabricam ipſam exſtruendi facultatem poſteris dedit.

Summis ſic affectus honoribus, haud tamen reliquam vitam ſilentio tranſegit; ſed medicinæ ſtudio indefeſſus incubuit. In medium poſtea protulit præclaras Exercitationes de Generatione Animalium. Ibique intima fere naturæ penetralia invadens vitæ fomitem incredibili acumine indagavit. Sententiam docuit, quæ nunc eruditis atque ingenioſiſſimis nonnullis viris apprime arridet. Ut verbis enim ipſius utar.
„ Vita in ſanguine conſiſtit, ut in ſacris noſtris
„ legimus, quippe in ipſo vita atque anima pri-
„ mum elucet. Clare enim conſtat, ſanguinem
„ eſſe partem genitalem, fontem vitæ, primum
„ vivens, & ultimum moriens; ſedemque ani-
„ mi primariam, in quo tanquam in fonte,
„ calor primo & præcipue abundat, vigetque,
„ & a quo reliquæ omnes totius corporis par-
„ tes calore influente foventur, & vitam ob-
„ tinent".

Nec magis enituit HARVEUS Auctor magni nominis, quam Profeſſor celeberrimus. *Londini* enim munus Præceptoris gnaviter obeunti omni anni tempeſtate magna auditorum frequentia ſemper adfuit.

Feliciter præterea apud cives artem ſalutiferam exercuit; atque *Magnæ Britanniæ* Regibus, tum JACOBO, tum CAROLO, Archiater creatus

tus eſt. Sub hoc autem tempus, tetra diſcordia civium ardorem incendens, funeſtum miſerrimumque bellum commovit. Medicus fidelis Regii Domini fortunam inſequens urbe expulſus eſt. Atque, dum inter arma commilitonibus ſalutem dabat, ferro atque igne ingenii proles periit. Quæ ſummo acumine, ſummâque induſtriâ, exploraverat, literisque mandaverat, heu nefas! expoliatâ domo ejus, crepitantibus uruntur flammis.

Agris vero tandem pacatis, *Londinum* rediit, ibique Medicorum omnium ſeculi ſui apud *Anglos* princeps facile habitus eſt. Collegii Regalis *Londinenſis* decus atque gloria exſtitit; liberiſque ſociorum ſuffragiis ad Præſidis officium evectus fuit. Sed annis laboribusque labefactatus, honorifico hoc munere ætate magis integris ceſſit; benevolentiam tamen erga ſocios abunde monſtravit. Collegii enim ædes locupletavit, ornavitque. Cœnaculum & Muſeum condidit, Bibliothecam propriis ſumptibus inſtruxit; atque demum, exemplo prope inaudito, in pleno ſodalium conventu, patrimonio ſuo ſe ſponte exuit, ut etiam, dum ipſe viveret, hæreditas illa ad collegium pervenerit. Non aurum, non argentum, non lapides perlucidos, non faſces, non purpuram, quæſivit. Sed imprimis in votis fuit, ut animi poſteritatis medicæ, famâ gloriâque majorum accenſi, ad

ad omnem ſcientiæ laudem, ad omnia humanitatis officia, provocarentur.

Sic vixit HARVEUS, atque tandem, annos natus circiter octoginta, minime quidem viridis, obiit. Tertio enim nonas Junii, anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo, vitam cum morte commutavit. Atque ſi ætas perfecta, vita haud minus perfecta. In nullâ enim parte ceſſavit. Sed boni medici, boni amici, boni civis officio, ad extremum usque functus eſt.

Ut vivus amorem ſodalium ſibi conciliabat, ſic mortuus ſummâ cum veneratione ſemper memorandus. Adhuc enim inventis & conſiliis ovantem patriam, imo ſcientiam medicam, fovet & ornat. Neque decrit, ut ſpero, poſt mille ſecula, qui viri de re medicâ optime meriti res geſtas memorabit. Manet adhuc honos, nomenque, laudesque, ſemperque manebunt.

Mihi quidem jucundum foret, & vobis fortaſſe haud moleſtum, ſi ea, quæ bene meruit immortalis HARVEUS, fuſius exponere aggrederer. Non tamen ulterius pergam, ne magni viri laudes, ingenii culpa, deteram. Sufficiant igitur quæ de vitâ, moribus, atque inventis ejus, jam dicta ſunt. Non enim in animo eſt, vos ſermone longo morari, vel per ambages ducere. Ab ejus tamen exemplo monita pauca colligere liceat.

Re-

Recordemini igitur, quæſo, quotquot adeſtis, immortalis HARVEI induſtriam. Vita brevis, ars longa. Volat irrevocabile tempus. Carpe igitur diem, dum ſororum fila trium patiuntur atra. Nil ſatis morituris, nil morientibus. Quotidie enim propius ab ultimo ſtamus. Extremus cito perveniet dies. Magnus ideo animus, conſcius ſibi melioris naturæ, operam dabit, ut honeſte ſe & induſtrie gerat. Falſa non durant, ſed diligentiæ tenor permanet. Ad ingenium rite exercendum, ſcientia medica latiſſimum adhuc præbet campum. Natura munera ſua non ſimul tradit, nec omnibus patent, reducta ſunt, & in interiori ſacrario clauſa, ex quibus aliud hæc ætas, aliud poſtera, accipit, & depromit. Multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit, neque ulli nato poſt mille ſecula præcidetur occaſio aliquid adhuc adjiciendi. Noſtrum eſt igitur, dum artis medicæ dignitatem tueri, dum turpitudinem & infamiam evitare volumus, animos exſuſcitare, intentisque ingeniis ea omnia revolvere, quæ ad artis vim atque perfectionem quovis modo conferre videantur. Hoc ergo a vobis orare liceat, ut quales præſtare vos inſtitueritis, tales usque ad exitum ſervetis. Efficite igitur, ut in morem HARVEI laudari poſſitis, ſin minus ut agnoſci. Unumquemque oportet in hoc ſtudio verſatum, ſymbolum aliquid,

quid, utcunque exiguum, in commune medicinæ ærarium contribuere. Monſtrent igitur conamina veſtra vitalis auræ uſum non fruſtra datum eſſe, neque vos fruges ſolummodo conſumere natos.

In artis autem medicæ incrementum quæ via optime ducat fortaſſis quærendum. Hic autem exemplum HARVEI deviis atque errantibus tramitem monſtrat. Obſervationibus atque experimentis ſanguinis cicuitum indagavit. Experimentum quidem difficile, ſed caute peractum, laboris juſtum adfert præmium. Quæ prius animo conjecimus, ſi vera, confirmat, ſi falſa, refellit. Hac via igitur veſtigiis HARVEI inſiſtamus; hac parvi properare debemus, & ampli. Et ſiqua forte fortuna utile aliquid antea latens quærenti ſeſe obtulerit, id nominis gloriam, pereunte etiam marmore, poſteris enarrabit.

Hoc quidem paucis ſolummodo exſpectandum. Studendum tamen eſt non tantum, ut plus ſcias, ſed ut melius. Ad ipſam igitur naturæ normam recurrendum eſt, ſi exoptetis, ut vel vobis honori, vel amicis utilitati, vel reipublicæ emolumento, eſſe poſſitis.

Si ea, quæ modo diximus, ſi immortalis HARVEI exemplum, apud auditores hodiernos, ad artem medicam per experimenta excolendam, ſtudium atque ardorem excitabunt, ſumma

ma quidem afficiar voluptate. Ne tamen inanis nunc videar fungi munere, in animo eſt, honoris palmam, utcunque exiguam, inſtituere, quæ generoſo cuique Candidato ingenium atque induſtriam exercendi occaſionem præbeat. Hac ratione imprimis reverentiam noſtram adverſus venerabilem HARVEUM, qui tam multa atque præclara inſtituit, ut tum æquales tum poſteros ad laudis gloriam excitaret, adhibere aliquatenus volumus. Et fortaſſe etiam ingenio aliter cunctabundo portam pandat, unde ſummum ſibi impetret honorem, ſummam arti ſalutiferæ adferat utilitatem. Talis enim palma, haud prætio ſed honore æſtimanda, tardis ſtimulum, alacribus oblectamentum præbet. Atque dum inter omnes fervet opus, aliquid ſaltem exſpectandum, quod communi utilitati inſer iat.

His igitur adductus, decrevi, dum res & ætas patiuntur, dumque ſtudioſorum conamina noſtrum fovent deſiderium, numiſma aureum, venerando HARVEI nomine inſcriptum, quotannis proponere, quæſtionem aliquam, per experimenta indagandam, publico examini ſubjicere, ingeniique mercedem, æquo jure decretam, feſto ſolenni in HARVEI honorem inſtituto tradere. Inter varias autem corporis partes, quid melius primam quæſtionem ſuppeditare poteſt, quam ipſe ſanguis? De hoc fluido,

quo

quo quidem immortalis Harveus ſummum ſibi honorem & meritus, & adeptus eſt, plurima etiamnum indaganda reſtant: inter alia coloris rubri cauſa adhuc latet. Viri quidem ſolertes apud recentiores hac in re per experimenta non parum progreſſi ſunt; aliisque viam quaſi patefecerunt. Multum tamen agendum reſtat; atque ſi veſtris exercitationibus experimenta jam in medium prolata, vel refelluntur, vel confirmantur, labor haud inutilis, haud injucundus. Si autem, favente Numine, fortunatus aliquis ex fumo lucem dare poterit, & opus & ſtudium remunerabit ſegete lætâ.

Hanc igitur quæſtionem nunc proponere liceat: Unde color ſanguinis? Atque hac indagatione nihil amplius in votis eſt, quam ut memoriæ Harvei debitos perſolvamus honores, ut exemplum ejus, quo ars medica imprimis excolenda, haud paſſibus æquis ſequamur, atque denique ut experimentorum utilitas omnibus pateat.

His expoſitis, haud amplius morandi cauſa, quam ut vobis, Auditores ſpectatiſſimi, gratias reddam. Non equidem volo vos inanibus lactare blanditiis, compertum autem habete, quod ubicunque terrarum vitam poſtea agetis, Tros enim Tyriusque mihi nullo diſcrimine habetur, vota mea vos ſemper comitabuntur.

Ut morbo detentis proſpere conſulere poſſitis, ut medici officio ex omni parte rite fungi queatis, ut per longum annorum decurſum, quidquid felix fauſtumque eſt, abunde contingat, ut generi humano diu læti interſitis, ut ſeri ad cælum redeatis, concedat Deus Optimus Maximus.

DIXI.

OB.

OBSERVATIONES
DE
FEBRIBUS REMITTENTIBUS,
IN
INDIA OCCIDENTALI
ENDEMIIS,
FACTÆ
A
DIONYSIO RYAN, M. D.
Societ. Phyſic. Edinb. *Socio*, *atque Noſocomii militaris* Jamaicenſis *Adjutore.*
A
SAMUELE FOART SIMMONS, M.D.
Societatis Regiæ Londinenſis *Socio*,
Cum publico communicatæ, ac inſertæ Diarii medici Londinenſis *voluminibus*
SECUNDO ET TERTIO.

Nunc ex Anglico ſermone in Latinam Linguam tranſlatæ.

PRÆFATIO.

Quæ hic ſequuntur excerpta ex Epiſtolis, a D. Ryan Med. Doct. ad Erudit. Viros, S. Foart Simmons Medicum *Londinenſem*, & R. Adair, Inſpectorem omnium Noſocomiorum in inſulâ *Jamaica*, datis, ab eodem D. Simmons cum publico communicata ſunt in Diarii Medici *Londinenſis* (*the London Medical Journal*) voluminibus ſecundo & tertio; cumque res utiles continere viderentur Medico, qui verſionem operis *Duncanniani*, a D. Ryan factam, emendavit, & nunc in lucem prodire curat, idem hæc excerpta, una cum vitâ D. Ryan, in ſcripto illi communicatâ, ex *Anglicâ* in *Latinam* linguam tranſtulit, & obſervationibus medicinalibus Cl. Duncan adjunxit.

Differunt pro naturâ locorum genera medicinæ; & aliud opus eſt *Romæ*, aliud in *Ægypto*, aliud in *Gallia*.

CELSUS.

EXCERPTUM EX EPISTOLA

A

DIONYSIO RYAN, M. D.

SCRIPTA AD ERUDIT.

SIMMONS, M. D.

Regiæ Societatis Londinenſis *Socium*;

COMPLECTENS

OBSERVATIONES

QUASDAM DE

FEBRIBUS REMITTENTIBUS;

IN

INDIA OCCIDENTALI

ENDEMIIS.

Cum in hanc Inſulam veniſſem, ſtatim mihi in mentem veniebat, in diario conſcribere omnes caſus, qui mihi in praxi occurrerent, & notatu digni viderentur; nam ex talium obſervationum, absque omni partium ſtudio, absque ſpeculationibus, & theoriæ cujusdam prævalentis amplexu, conſcriptarum collectione morbi in hoc climate obvii optime, ut putabam, cognoſci poſſent; verum valetudo mea, & ægri; qui nimio ſemper numero meæ

curæ committebantur, hoc propoſitum exſequi non permiſerunt. Nonnullæ tamen, licet non multas fecerim, animadverſiones & obſervationes forſan, hoc ſaltem ſpero, non erunt ingratæ.

Hanc inſulam, aliquot abhinc menſibus, valde amplum obſervationibus medicis campum aperuiſſe, fatendum eſt. In initio quippe menſis Auguſti proxime elapſi militum circiter duo millia cum octingentis ex *Angliâ* huc appulerunt. Ex his plures quam quadringenti in terram morbo laborantes ſunt delati, & primis duobus vel tribus menſibus ex iis tam multi mortui ſunt, ut vix dimidia pars eorum, qui, intra illud tempus, in tria militibus deſtinata Noſocomia, in viciniâ urbis *Kingſton* exſtructa, ſunt delati, cum ſanitate in gratiam redierit.

Hoc forſan mirabitur, qui tantummodo Noſocomia Europæa, in quibus in genere ex viginti quinque unus tantum moritur (*a*), nota habet; ſed in noſtro caſu ſatis manifeſtæ erant majoris mortalitatis cauſæ.

Scilicet cum, menſe Martio, milites naves conſcenderent, multi Dyſenteriâ, & Febre putridâ, laborabant. Ab eo tempore usque ad eorum ad hanc inſulam adventum quinque circiter menſes elapſi ſunt, ita ut morbi, quibus afflicti

(*a*) Excipi debet Noſocomium Dei (*l'Hotel Dieu*) *Pariſiis*, nam in eo inter ſex circiter unus moritur.

afflicti ſe mari crediderant, violentiores & lethales fierent, dum præterea ſpatium nimis arctum, in quo per tam longum tempus in navibus erant incluſi, multis ſcorbuti ſymptomatibus occaſionem dabat. Multi hinc jam in itinere moriebantur, & multi eorum, qui in urbem *Kingſton* deferebantur, repetitis alvi fluxibus & febre erant exhauſti.

Præterea, cum *Kingſtonum* veniebamus, nihil bene accommodatum ad ægros recipiendos ibi aderat; &, quo minus recentem Sacchari ſpiritum biberent milites, impedire erat impoſſibile. Ingenioſum & ſimplex ſchema erigendi peculiaris Noſocomii pro unaquaque militum cohorte, a generoſo viro ROBERTO ADAIR, Noſocomiorum ſupremo Inſpectore propoſitum, non arridebat, ſed unum pro omnibus erigendi Noſocomii conſilium præferebatur. Hinc nimio ſemper numero in uno eodemque loco aderant ægri, & multi ſanari non poterant, quoniam ex loco, in quo ægrotare cœperant, ad illud Noſocomium erant tranſlati. Nunc autem, quamvis ſero, Inſpectoris ADAIR propoſitum bene perſpectum eſt, & approbatum.

Hisce cauſis jure annumerandi ſunt caloris, quippe qui vel perfecte ſano homini nonnunquam intolerabilis eſt, pernicioſi in hocce climate effectus. Quantum Europæi, graviſſimis morbis laborantes, hac de cauſâ patiuntur,

tur, forſan ex ſequentibus obſervationibus judicari poterit.

Gradus caloris, in tentorio pro Noſocomio inſerviente, in campo Pultney Lodge *prope urbem* Kingſton *exſtructo, obſervati.*

Dies		Hora	Gradus in Thermometro Fahrenheitiano.
Auguſti	22	9 Ante Merid.	92.
———	—	12 ——— ———	96.
———	—	3 Poſt Merid.	89.
———	23	8 Ante Merid.	89.
———	—	12 ——— ———	95.
———	—	1 Poſt Merid.	93.
———	—	4 ——— ———	95.
———	24	6 Ante Merid.	75½.
———	—	11 ——— ———	89.
———	—	1 Poſt Merid.	93½.
———	25	8 Ante Merid.	90.
———	—	10 ——— ———	93½.
———	—	12 ——— ———	94.
———	—	3½ Poſt Merid.	93
———	26	6 Ante Merid.	77.
———	—	1 Poſt Merid.	92½.
———	27	1 Poſt Merid.	95.
———	—	4 ——— ———	89.
———	30	12 ——— ———	95.
———	31	10 ——— ———	92.

Thermometrum in mediâ tentorii parte erat ſuſpenſum, atque aër ab omni parte libere accedere poterat. Jure

Jure dicitur Medicus, quando in hanc Inſulam venit, ſæpe in dubio hærere, qualem præſertim in Febribus medendi methodum ſequi debeat, etiamſi probe ſciat omnia, quæ hucusque circa morborum, in regionibus prope Tropicos ſitis endemiorum, indolem ſcripta ſunt.

Febres, hic obviæ, jure Proteiformes nominandæ ſunt, nam multæ admodum ſunt earum varietates, & valde multa exhibent phænomena. Sæpe typum Quotidianæ vel Tertianæ mutant in typum Remittentis vel Continuæ, ac brevi admodum tempore lethales ſunt. Nonnunquam primus & ſecundus paroxyſmus tam levis eſt, ut ægro nulla attentione dignus videatur, & tamen proxime ſequens paroxyſmus lethalibus ſtipatus eſt ſymptomatibus. Multi tales mihi caſus occurrerunt, in quibus poſt ſecundum vel tertium paroxyſmum manus & pedes plane frigidi fiebant, &, quamvis ægri duos adhuc vel tres dies vitali aurâ fruerentur, calorem hisce partibus reddere, vel mortem prævenire, mihi erat impoſſibile, licet veſicatoria applicarentur, ac vinum & cortex Peruvianus, imo ſpiritus vini cum aquâ, magnâ quantitate daretur.

Periculum aliquando antecedunt circumſtantiæ, quæ nullum in genere periculum portendunt. Vir quidam, quinquaginta, & quod excedit, annos natus, a nonnullis, propter quæ in Noſocomium miſſus erat, incommodis liberatus,

tus, quodam mihi die narrabat, ſe admodum ſomnolentum eſſe, nec fere poſſe manere vigilem. Hoc nihili faciebam. Sequenti die idem mihi dicebat; ſed, quoniam ſimul me certiorem reddebat, ſe nihil aliud incommodi ſentire, & cætera ſanum eſſe, tantummodo reſpondebam, nihil obſtare, quominus ſommo indulgeret. Verum ſequenti mane illum, non ſine magnâ admiratione, mutum, ac manus ejus & brachia ſpasmis & convulſionibus tentata, vidi, & ſecundo abhinc die moriebatur.

E contrario nonnunquam æger momento temporis ſymptomatibus admodum periculoſis affligitur. Quodam die mihi matutino tempore narrabant, militem quendam, cum ad ægrorum curam ex officio gerendam exiret, inordinate locutum eſſe, & rationis expertem videri; ſanum illum pridie fuiſſe, referebant, nec ulla aderat ratio eum ebrium credendi. Illum ad me ducere jubebam, ac tunc vidi, eum revera delirare, & quidquid tentabam, incaſſum erat.

Omnes fere, quas curandas habui, febres erant Remittentes, ac vomitu bilioſo plerumque erant ſtipatæ. Nunquam violentiores hujus generis febres vidi, quam in tribus caſibus, in quibus eodem fere tempore ex contagione natæ erant. In his omnibus nauſea, & vomitus, absque interruptione & obſtinata aderant, inde fere ab initio, ita ut nihil propemodum ſtomachus retinere poſſet; imo, quando aliquid deglutiebant

bant ægri, violentiſſimis ſpasmis & convulſionibus affligebantur. His totum corpus, ſed præcipue collum & facies, per minuti fere ſpatium agitabantur, ac mors cito finem faciebat tragœdiæ. Memini ex his ægris duos ex culinâ miſſos eſſe, in qua, dum in Noſocomio in campo *Pultney Lodge* ægrorum curam gerebam, quaque hebdomade duo vel tres febribus corripiebantur. Milites quoque, qui quovis die *Kingſtonum* ire debebant, ut alimenta pro ægris apportarent, in genere non melius ſe habebant. Hoc cohortium Duces animadvertere debent, quando in Indiis Occidentalibus degunt, & hinc ſemper ab Æthiopibus pro ægris alimenta præparare jubeant, ac omnia alia ſervilia munera, quæ in Noſocomio peragi debent, iis injungant.

Neceſſe fere non eſt, obſervare, methodum ſanandi febres, in Europâ adhibitam, nequaquam ad hoc clima accommodatam eſſe. In genere bilis evacuari debet, & hinc emetica forſan in uſum trahenda viderentur; verum multis in caſibus non tantum minime conveniunt, ſed admodum ſunt periculoſa; nam augendo nauſeam & vomitum, quæ jam adſunt, ſæpe ventriculum plane ineptum reddunt ad medicamenta, quæ abſolute adhiberi debent, retinenda. Idcirco bilis per inteſtina debet evacuari; ſique ventriculus non nimis irritabilis eſt, neque nauſea nimis incommodat, Tarta-

rus

rus Emeticus hac via materiam ducet evacuandam, præterquam quod ſuperficiem corporis etiam afficit, atque remiſſionem inducit; ſed in genere alia laxantia neceſſaria ſunt.

Quamvis, ex quo huc veni, plus quam trecentos ægros curandos habuerim, ne ſemel quidem lanceolâ uſus ſum. Vires tam cito proſternebantur, & niſus in putredinem tantus erat, ut venæ ſectionem non tantum non neceſſariam, ſed vel periculoſam, crederem: vel robuſtiſſimi ægri, qui meæ curæ erant commiſſi, abſque hac perfecte ſanabantur; atque unicus tantum caſus mihi in mentem venit, in quo ſymptomata, verſus finem morbi obvia, me cogitare faciebant, an non in febris initio parva ſanguinis quantitas bono cum ſucceſſu evacuari potuiſſet. Medicus Cawley, qui in alio prope urbem *Kingſton* extructo Noſocomio militum curam gerebat, mihi narravit, ſe raro vel nunquam venæ ſectionem inſtituere juſſiſſe, & eorum, qui tunc Febre flavâ laborabant, plurimis, antequam in Noſocomium generale erant tranſportati, ab aliis Medicis venam ſectam fuiſſe.

Hoc tamen non ita intelligi volo, acſi in Febribus in *Indiâ Occidentali* obviis nunquam venæ ſectio deberet inſtitui. Obſervationes meæ omnes captæ ſunt in viris, qui multa admodum incommoda paſſi fuerant in itinere ex *Europâ* valde tædioſo ac incommodo, & qui, poſt-

poſtquam in hanc inſulam venerant, multis adhuc moleſtiis fuerant expoſiti. Horum ægrorum conditio particularis particularem etiam medendi methodum exigebat.

Quando homines, pleni habitus, plethorici, ac robuſti, validæ febris ſymptomatibus affliguntur, venæ ſectio abſolute eſt neceſſaria; verumtamen ſemper magnâ cum cautelâ hæc adhibenda eſt, & fere nunquam poſt ſecundum a febris initio diem.

Statim atque remiſſio obſervatur, omnis noſtra ſpes in liberali uſu Corticis Peruviani, & vini, conſiſtere debet. Imo ſæpe non ſine periculo remiſſio exſpectatur, & aliquando credidi, multum utilitatis ex adhibito Corticis Peruviani decocto, dum febris adhuc aderat, ſi ſpiritus Mindereri, vel parva Tartari emetici quantitas, addebatur, ac, febre abſente, ex Cortice Peruviano in ſubſtantiâ dato, proveniſſe. Camphora etiam rectiſſime, & magno cum ſucceſſu, æque ut antiſpasmodicum, ac ut antiſepticum, adhibetur.

Verum in genere impoſſibile eſt, præcepta tradere, quæ in quocunque caſu, & ſemper, bona invenientur; imo ſumma animi intentio, & judicii acumen, requiruntur ad capienda talia conſilia, quæ quisque ſingularis caſus exigit.

Sequentes tibi caſus perſcribendi veniam peto, quoniam forte nonnullis animadverſionibus,

 paulo

paulo ante traditis, lucem affundent, & ſimul ſpecimen dabunt praxeos, quam ex meâ quidem ſententiâ ſæpe ſequi debemus in hac inſula, in qua velox morbi progreſſus ſtatim omnem artis opem requirit, ut æger ab imminente morte liberetur.

CASUS I.

Die 21mo Octobris horâ quarta poſt meridiem. Guilielmus Wright, triginta annos natus, ante duas horas corripiebatur frigore & horrore, quos ſequebatur quidam caloris gradus. Nunc ſudore frigido perfuſus eſt; pulſus adeo debilis eſt, ut vibrationes vix poſſint percipi; manus ac pedes ad tactum frigidi ſunt; de colicis queritur doloribus; bis vel ter alvum depoſuit, & quod dejecit, ſanguine quodammodo tinctum fuit; ex quo hic paroxyſmus incepit, ſæpe bilem vomuit.

Hoc mane tam bene valebat, ut ægrorum cura ei, ex ipſius deſiderio, fuerit demandata; ſed nunc dicit, ſe proxime elapſâ nocte, levem febris inſultum percepiſſe, qualem & præcedente nocte perceperat; ſe autem de his non fuiſſe locutum, quoniam ſperabat, hos, etiamſi nullum remedium adhiberet, non reverſuros.

Capiat omni ſemihorâ pulveris Corticis Peruviani, drachmam unam cum vini unciâ una. Injiciatur ſtatim enema ex aquâ tepidâ, & foveatur ab-

abdomen calidâ infuſione florum Chamæmelorum. Deinde applicetur veſicatorium inter ſcapulas, &

℞. *Liquoris* Limonade *dicti,*
Vini ana partes æquales

Utatur hac mixturâ pro potu communi, ſed tepida fiat.

Die 22do Heri drachmas ſex Corticis Peruviani veſpertino tempore cum vino ſumpſit; dein in ſomnum incidit, atque dormivit hac nocte circiter ad horam usque undecimam; exinde novem drachmas Corticis Peruviani ſumpſit, atque congium vini ac potus *limonade* bibit. Veſicatorium fuit applicatum, & ſperatum præſtitit effectum. Cum præcedente nocte dormire inciperet, extremitates gradatim calidæ fiebant, & copioſus ac univerſalis ſudor ſequebatur. Nunc nullum incommodum, vel dolorem, in abdomine percipit. Hoc mane bis alvinas depoſuit fœces virides magnâ copiâ; cutis ſubfrigida eſt; pulſus celer & parvus; lingua munda; de ſiti queritur; hoc mane bis vomuit.

Capiat ſingulis horis pulveris Corticis Peruviani drachmam unam cum vino, ut antea. Repetatur potus communis heri præſcriptus pro re natâ.

Die 23tio Duas asſumpſit uncias Corticis Peruviani poſt diem heſternum, atque quinquies

vel ſexies alvum depoſuit absque magno dolore aut tenesmo; pulſus fere octoginta vibrationes minuti ſpatio perficit, & modice plenus eſt; ſitis minor eſt.

Capiat pulveris Corticis Peruviani drachmam ſecundâ quaque horâ; & habeat indies vini libram unam.

Die 24to Convaleſcere pergit.

Capiat pulveris Corticis Peruviani ſemunciam indies tantummodo.

De nullo queritur incommodo.

Intermittantur medicamenta.

Medio fere menſe Septembri meæ curæ commiſſus erat æger, qui, poſtquam tres dies febre continuâ laboraverat, iisdem fere ſymptomatibus, ac in modo enarrato caſu ſunt deſcripta, affligebatur, verum ſanguinem ſæpe alvo evacuabat. Nihilominus ei Corticem Peruvianum ac vinum eodem modo præſcribebam; ſanguinolentæ hinc dejectiones cito ceſſabant, & cum ſanitate in gratiam redibat, licet tamen quadraginta octo horæ laberentur, antequam manus ejus ac pedès naturali gaudebant calore.

CASUS II.

Die 27mo Octobris JOANNES PERKINHORN, quinquaginta duos annos natus, de magnâ admodum debilitate, ac dolore capitis, ſimulque de colicis doloribus, & alvi fluxu queritur. Nudius tertius paroxysmo febrili affligebatur.

batur. Decem jam hebdomades in Noſocomio fuerat propter varia incommoda, a quibus tandem erat liberatus.

Capiat veſperi pulverem emeticum.

Die 28vo Omni reſpectu melius ſe habet.

Capiat indies pulveris Corticis Peruviani ſemunciam, & pilulam anodynam veſperi, ſi alvus laxa fuerit.

Die 2do Novembris. Febre intermittente laborabat heri; Corticem aſſumpſit Peruvianum; admodum vacillat, quando lectum relinquit, ac manus & brachia tremunt; cutis calida eſt; ac pulſus celer.

℞. *Julapii Camphorati uncias ſex.*
Spiritus Mindereri uncias duas.
M. Capiat unciam ſingulis horis.
Applicetur Veſicatorium dorſo.

Capiat etiam pulveris Corticis Peruviani drachmam unam ſingulis horis, ſed alternatim cum mixturâ ſupra præſcriptâ.

Die 3io Medicamenta ex ordine ſumpſit, ac veſicatorium bonum habuit effectum; convulſiones non amplius aderant; pulſus erat regularis; alvus naturalis; cutis ſubfrigida.

Capiat pulveris Corticis Peruviani drachmam ſingulis horis, cum vini unciâ unâ. —— Intermittatur mixtura cum camphorâ.

Die 4to Poſt matutinum tempus heſternum

duodecim drachmas Corticis Peruviani aſſumpſit. Vacillat iterum, & convulſivis motibus agitatur; ac quando aliquis eum alloquitur, reſpondere non poteſt. Lingua ſicca, & quaſi aduſta, eſt; pulſus fortis & celer; calor major ſolito; ultimâ nocte bis alvum depoſuit, atque hodie mane ſemel, idque præter voluntatem.

Continuentur Cortex & Vinum; & capiat ſingulis horis Julapii Camphorati ſemunciam; capiat etiam hauſtum ſequentem veſperi.

℞. *Tinct. Thebaicæ guttas triginta.*
—— *Japonicæ drachmas duas.*
Aquæ Menthæ unciam unam.
—— *Fontanæ uncias tres.*
Syrupi ſimplicis quantum ſufficit.
Miſce ut fiat hauſtus.

Die 5to. Medicamenta ex ordine aſſumpſit, ac ultimâ nocte bene dormivit; motus convulſivi fere omnino ceſſarunt, atque deſtincte reſpondere poteſt; hoc mane bis alvum depoſuit; calor naturalis; pulſus fere 80; lingua humida.

Continuentur Julapium Camphoratum & Cortex; habeat indies Vini libras duas.

Die 6to. Poſt heſternum diem unciam Corticis Peruviani, & Julapium Camphoratum, ſumpſit; decies circiter alvum depoſuit liquidam poſt veſperam heſternam; pulſus fere 70; calor naturalis; lingua ſicca.

Con-

Continuentur medicamenta ut heri; ſed repetatur hauſtus anodynus ſupra præſcriptus.

Die 7mo. Poſt diem heſternum unciam Corticis Peruviani aſſumpſit; poſt ultimo elapſam noctem bis tantum depoſuit alvum; pulſus plenus eſt, & 70 circiter vibrationes minuti ſpatio perficit; lingua pura & humida.

Continuentur medicamenta ut antea.

Die 8vo. Convaleſcere videtur.

Intermittatur Julapium Camphoratum, continuentur cætera.

Die 11mo. De nullo incommodo præter dibilitatem queritur.

Intermittatur Cortex; habeat indies vini libram unam.

In inſula *Jamaica* die
12mo Decemb. 1780.

* * *
* *
*

EXCERPTUM EX EPISTOLA SECUNDA A DIONYSIO RYAN, M. D. DATA AD ERUDIT. SIMMONS, M. D. *Regiæ Societatis* Londinenſis *Socium.*

Bathoniæ in Inſulâ Jamaica, *die* 24to *Aprilis* 1781.

Menſem integrum hic moratus magnâ curâ athmoſphæræ ſtatum per illud tempus annotavi; totum vero, ne tibi forſan moleſtus ſim, diarium non exſcribam, verum tantummodo tecum communicabo maximum & minimum caloris in Thermometro *Fahrenheitiano*, in umbrâ ſuſpenſo, obſervatum a me gradum.

Obſervationes has plerumque ter quotidie inſtitui, nempe matutino tempore horâ ſeptimâ, meridie, & horâ decimâ nocturnâ.

			maximus caloris gradus.
Mane.	Die menſis Aprilis	15, 21, & 23	78.
Meridie.	———	12, 20, —	84.
Nocte.	———	17, 18, —	79.

mini-

			minimus caloris gradus.
Mane.	Die menſis Aprilis 2 & 10	—	70.
Meridie.	——————— 22 & 23	—	79.
Nocte.	——————— 11	—	74.

Ut poſſem determinare, qualis aquæ in Thermis calor eſſet, thermometrum in vaſculum tali aquâ repletum immiſi, atque duorum circiter minutorum ſpatio Mercurius ad 122dum gradum adſcendebat. Illud dein per minuti fere ſpatium infra epiſtomium, per quod aqua ex rupe currens prodit, tenui, atque tunc Mercurius monſtravit gradum 123tium, qui, ni me omnia fallant, aliquot gradibus excedit calorem aquæ, quæ *Bathoniæ* in *Angliâ* prodit.

Ubi prodit, aqua vaporem fortem ſulphureum emittit, qui ad aliquot pedum diſtantiam homines adhuc male afficit. In vitrum infuſa admodum petulca eſt aqua, atque ſapore refert aquam *Bathonienſem Anglicanam;* verum hucusque nunquam analyſi chemicâ ejus natura probe eſt explorata.

Externe in refractariis ulceribus, ut & in doloribus rheumaticis & arthriticis, bono cum ſucceſſu adhibita fuit. Interne in morbis bilioſis, ut & in obſtructionibus abdominalibus, multum levaminis adfert. Verum ſi adhibetur, antequam laxantia ſunt in uſum tracta, aliquando magnum calorem, dolorem capitis, atque alia mala ſymptomata, excitat.

EPISTOLA

A

DIONYSIO RYAN, M. D.

DATA AD

ROBERTUM ADAIR,

Noſocomiorum Inſpectorem Generalem.

De Methodo medendi Febribus Remittentibus in Indiâ Occidentali, *atque de Optimâ Methodo Sanitatem in Inſulâ* Jamaicâ *conſervandi.*

Ante aliquod tempus ad Medicum SIMMONS Amicum integerrimum ſcripſi epiſtolam, in quâ nonnullarum ex præcipuis circumſtantiis, quæ febres hujus Inſulæ ab iis, quæ in *Europâ* graſſantur, diſtinguunt, mentionem feci, ac ſimul obſervavi, qualem hæ medendi methodum poſcere videbantur (*a*).

In genere dixi, febres, licet ſint admodum vehementes, imo licet corpus ſimul flavedine tinctum ſit, hic raro continuarum febrium typum monſtrare; atque manifeſtam remiſſionem, niſi æger paroxyſmo primo e vivis tollatur, in genere locum habere, ita ut ex decem caſibus no-

(*a*) Vide *the London medical Journal for October* 1781. & ſupra pag. 281.

novem Remittentium nomen mereri videantur.

In initio plerumque nonnullis ſymptomatibus inflammationis ſunt ſtipatæ, ſed hæc tamen raro tam ſæva ſunt, ut venæ ſectio neceſſaria ſit, niſi in hominibus pleni habitus, ac robuſtis. Vomitorium in ipſo morbi initio datum evacuandis putridis ac bilioſis ſordibus multum inſervire poteſt; ſed, morbo incrementa capiente, conſtans nauſea illud ſæpe fruſtra adhiberi facit, imo ejus uſum aliquando plane impedit. Semper tamen cito ex inteſtinis evacuari materiem contentam expedit. Ægris magna Aurantiorum malorum copia concedenda eſt; nam fere ſemper hæc deſiderant, &, præterquam quod refrigerantibus & laxantibus pollent viribus, nonnunquam vomitui nimis moleſto obicem ponunt, atque hocce ſcopo opiatis antecellunt.

Pro communi potu optime inſervit, atque etiam ægris gratiſſima eſt, aqua, cui ſuccus limonum, & parva ſacchari quantitas, addita ſunt; neque unquam mali quid obſervavi, ſi æger nonnunquam frigidæ aquæ hauſtum ſumeret. In hac morbi periodo Antimonialia medicamenta, ſi ventriculus non nimis irritabilis eſt, & fomenta abdomini, ac extremitatibus inferioribus, applicita præter dicta conveniunt. Si vero adeſt delirium vehemens, veſicatorium valde uti-

le

le eſt, vel prodeſt, parvam ſanguinis quantitatem e temporibus evacuare ſcarificatione cum cucurbitulis, vel ex brachio, ſi vires ægri hoc permittunt.

Tertio circiter die, & nonnunquam citius, febris remittit, atque brevi poſt debilitatis ſymptomata ſe manifeſtant; vel, ut nonnulli ſcriptores hoc exprimunt, nimis debilis reactio obſervatur. Natura nimis debilis eſt, quam ut cum morbo poſſit certare, ac idcirco auxilium & opem poſcit. Ad hunc ſcopum obtinendum in nonnullis regionibus magnæ admodum vires tribuuntur *Radicibus Contrajervæ*, *Serpentariæ*, atque aliis medicamentis cardiacis. Sic ſæpe vidi in celebri *Pariſiorum* Noſocomio, *La Charité* dicto, ægros febre nervoſâ laborantes, quorum Medici tantummodo præſcribebant *Potionem cardiacam minorem*, cumque vires nimium proſternerentur, & involuntariæ dejectiones periculum adeſſe docerent, loco hujus remedii *Potio cardiaca major* dabatur. In hisce vero regionibus hæc medicamenta nunquam in uſum trahi debent, niſi aliorum medicamentorum, majori vi præditorum, & quibus magis fidere poſſumus, vires augere, vel eorum defectum ſupplere velimus.

Simul ac igitur remiſſio obſervatur, ad Corticem Peruvianum in ſubſtantiâ, confugere de-

debemus. Nonnulli quidem, ut alibi dixi, caſus decoctum hujus Corticis etiam, antequam febris impetus minor factus eſt, exigunt, dum in aliis ſymptomata adeo urgent, ut hocce remedium ſtatim in ſubſtantiâ debeat præſcribi, quoniam tergiverſatio, dando primum emeticum vel catharticum, forſan ægro noceret. Tantam Corticis Peruviani quantitatem, quantam ventriculus ferre poteſt, ægro præbere; moris eſt. In Aurantiorum uſu pergendum eſt; nam, ventriculum remedium hoc melius ferre; faciunt, atque alvum apertam ſervant. Quando hunc effectum non præſtant, parvæ ſalis Polychreſti doſes aliquando dari debebunt. Quando e contrario Cortex Peruvianus diarrhœam excitat, opiata illi addi debent. Quando ventriculus hunc Corticem retinere non poteſt, in clyſmate injici in corpus, vel formâ fomenti debet applicari.

Pro certo, ut mihi videtur, aſſumi poteſt, vinum in omnibus fere Febris caſibus, in quibus Cortex Peruvianus requiritur, etiam bonum eſſe; ſed, quamvis Medici in hisce regionibus in genere conſentiant quoad utilitatem Corticis Peruviani, hoc tamen non habere locum videtur reſpectu vini uſus.

Aliquando mihi contigit, ut adeſſem conſultationi inter duos vel tres celebres in hac Inſulâ Medicos habitæ de caſu cujusdam ægri, qui,

qui, præter alia periculoſa ſymptomata, etiam laborabat frigore ſuperiorum & inferiorum extremitatum. Præſcribebant huic Medici magnam Corticis Peruviani quantitatem; ſed vinum non admodum neceſſarium iis videbatur. Verum, quod ad me attinet, credo in caſibus, in quibus ægrorum vires admodum parvæ, & oppreſſæ, ſunt, timendi locum eſſe, ne Cortex Peruvianus, ponderis inſtar inertis ventriculo moleſtus fuerit, & bonum vinum tunc adhibitum optimum & efficaciſſimum ſtimulum præbere, ægrumque periculo, quod illum minabatur, eripere poſſe.

Nonnulli ægrorum, qui meæ curæ erant commiſſi, ſanabantur, poſtquam ſymptomata memorata ſe manifeſtaverant, hocque liberaliori vini uſui æque, ſi non potius, adſcribo, quam viribus Corticis Peruviani. Præterea agnoſcendum mihi eſt, me obſervationem, quam a doctiſſimo meo præceptore Cl. Cullen didiceram, ſemper veram, ac bene fundatam, inveniſſe; vinum, ſcilicet, parvæ vel nullius utilitatis eſſe, niſi detur in magnâ ſatis quantitate. Noti mihi ſunt quidam Medici, qui dicunt, dimidiam circiter pintæ vini partem, de die datam, militi in Noſocomio degenti ſufficere; ſed credo, me multorum militum vitam ſervaſſe, concedendo iis octies hanc quantitatem. Cl. Cullen caſus Typhi meminit, in quo æger, quantum reminiſcor, dicebatur,

ſeptem

ſeptem lagenas Clareti, viginti quatuor horarum ſpatio, bibiſſe; verum Vir ille dubitabat, an cuſtos ægrum non adjuviſſet.

Quidquid hac de re in privatâ praxi locum habeat, hoc credo, cuſtodes, & eos, qui curam ægrorum gerunt in publicis Noſocomiis cujusvis generis, ſæpius putare, ægris minorem vini quantitatem, quam iis conceſſa eſt, ſufficere, unde liberaliter vivere cum datâ vini quantitate ſibi permiſſum autumant. Hoc accidiſſe probe ſcio; &, quoniam hoc non facile poteſt præveniri, ad hoc, ut puto, attendendum eſt in præſcribendâ vini quantitate. Melius eſt, cuſtodibus & iis, qui ægris ſerviunt, aliquid concedere, (nam, ſi officio ſuo bene funguntur, non leve iis incommodum eſt ſubeundum,) quam ægros vitâ privari, quoniam id, quod iis neceſſarium erat, in requisitâ quantitate habere non potuerunt.

Sed, quamvis vinum in hoc caſu laudavi, fatendum tamen eſt, mihi nonnullos obveniſſe caſus, in quibus, licet quædam remiſſio Corticem Peruvianum dandi occaſionem præberet, ſymptomata tamen, quæ irritationem, & diatheſin phlogiſticam, adeſſe monſtrabant, vinum non niſi parvâ admodum quantitate, & cum cautelâ, ægris dari ſinebant. Verum ſemper tuto in talibus caſibus procedere poſſumus, ſi ex effectibus, quos producunt medicamenta, judicemus, an bonam ſecuti fuerimus viam.

Idcirco

Idcirco quando percipio, vino pulſum fieri plenum & tardum, qui antea erat debilis & celer; calorem febrilem, & anxietatem jam minores, quam fuerant, eſſe; delirium, quod forſan adfuit, evanuiſſe, ſaltem pejus non eſſe factum, adeo ut mentis jam quodammodo obſervetur ſerenitas; cutem modice humidam; ſitim non amplius adeſſe; & ægrum vinum vehementer deſiderare; tunc nequaquam dubito, quin in hujus uſu mihi pergendum ſit. Sin vero, quos producit, effectus contrarii ſint, tunc nequaquam convenit.

Quæſtio moveri poteſt, num Cortex Peruvianus neceſſario in hiſce regionibus in omni febris caſu dari debeat? Ad quam mihi reſpondendum eſt, me in Noſocomiis, militibus deſtinatis, curam nonnullorum habuiſſe ægrorum, quorum febres conſueto modo initium capiebant, ſed qui tempore remiſſionis, quoniam Corticem hunc averſabantur, vel cuſtodes illum iis non præbuerant, hoc remedio non fuerunt uſi, & qui tamen ſanati ſunt. Cortex præterea Peruvianus in nonnullis hominibus, licet tantummodo detur remiſſionis tempore, magnam tamen anxietatem & irritationem producere, ac pulſum celeriorem reddere, videtur; talem me caſum vidiſſe, memini. Primæ viæ erant evacuatæ, ac parca ſanguinis quantitas miſſa erat, cumque periculum adeſſe videretur, optimum credebatur, Corticem Peruvianum, ſimul

ſimulac remiſſio aderat, in magnâ quantitate ægro præbere; verum hic medicamentum hoc adeo averſabatur, ut, quidquid etiam diceretur, illud aſſumere nollet; & anxietas, quæ unam tantummodo deglutitam doſin ſequebatur, atque conatus illam rurſus ejiciendi, probabiliter ex hac averſione orta ſunt. Hoc tamen non obſtante, gravem admodum morbum paſſus ſanabatur æger, qui admodum gaudebat, ſe propriam ſecutum voluntatem evaſiſſe invitis medicis.

Menſe Decembri ultimo elapſo ipſe conſuetis febris incipientis ſymptomatibus per aliquod tempus afflictus fui, una cum acuto frigoris ſenſu in toto corpore; paulò poſt dolore capitis laborabam, ac calorem ſummum percipiebam, & pulſus celer erat, atque hæc ſymptomata vergente die pejora fiebant. Veſpertino tempore ſumpſi emeticum, quo magna bilis quantitas evacuabatur; ſed febrilia tamen ſymptomata eadem manebant, atque magnâ inquietudine, ac anxitate, erant ſtipata. Sequenti die julapium in meos uſus præparabatur, quod erat compoſitum ex tribus pintis liquoris dicti *Limonade*, in quibus ſoluta erant uncia Salis Polychreſti, & quinque grana Tartari Emetici. Hujus julapii omni bihorio circiter vaſculum, ex quo infuſum Theæ bibi ſolet, ſumpſi, & tempore intermedio infuſum herbarum Salviæ & Meliſſæ. Intra octo vel decem hora-

rum ſpatium Julapium alvum laxam reddebat, lenemque excitabat diaphoreſin, ita ut tertii diei initio febris plane remitteret. Medicus LEDWICH, qui *Kingſtonii* magno cum judicio medicam exercet artem, ac mei curam gerebat, ſtatim Corticem Peruvianum adhibere volebat; verum, etiamſi illum aliis ſæpe præſcriberem, ipſe tamen hoc medicamentum adeo averſabar, ut illum rogarem, vellet adhuc ejus uſum differre, usque dum alia rurſus obſervaretur exacerbatio; ſed febris non redibat, licet primiæ acceſſionis effectus adeo fuiſſent vehementes, ut plures dies in cubiculo manere debuerim.

Patet igitur, nonnullos febris caſus dari, in quibus Cortex Peruvianus neceſſarius non eſt; dixitque mihi medicus egregius PRENDERGAST, qui magno cum applauſu aliquot annos *Kingſtonii* praxin exercuit, in indigenis, atque iis, qui per aliquod tempus in inſulâ hac degerunt, tale quid plerumque locum habere; nam in his aliquando tanta obſervatur diatheſis inflammatoria, ut repetitas perferre poſſint venæ ſectiones. Verum, quoniam tales caſus in genere raro occurrunt, & ſymptomata, quibus in initio ab aliis, qui periculoſiores ſunt, poſſunt diſtingui, hucusque non perfecte nota ſunt, Corticem Peruvianum ſemper, ac ſtatim atque remiſſio obſervatur, dare, bonum & neceſſarium videtur. Imprudenter ageret, qui ſe gereret aliter, nam ſine dubio verum eſt, multa homi-

num

hum millia in omnibus calidis regionibus mori ex defectu pretioſi hujus remedii; & æque certum eſt, ægros raro vel nunquam mori, ſi illud debito cum moderamine ſumpſerint.

❁ ❁ ❁ ❁

Multæ regulæ præſcriptæ ſunt, ad Sanitatem eorum, qui in hanc Inſulam veniunt, conſervandam; verum nonnullæ ex iis non, ut decet, ſunt adhibitæ, & reliquæ non multum ſunt æſtimatæ. Quando homines putridis ac malignis morbis propter vitæ genus, ac propter aërem putridum, & contagioſum, in quo vivunt, ſunt expoſiti, Cortex Peruvianus, tanquam prophylacticum remedium, jure commendatur; neque dubito, quin hoc medicamentum in hac inſulâ minime ſalubri anni tempore, a nonnullis hominibus magno cum fructu adhiberi poſſit, ſed cum cautelâ & modice. Hic homines noſco, qui ſtatim atque ſe male habent, unciam mediam, vel & integram, Corticis Peruviani in ſubſtantiâ ingerunt, atque hoc repetunt tam ſæpe, ac illud neceſſarium eſſe putant. Verum credo, paucos eſſe, qui exinde utilitatem experiantur; imo credo, me dicere poſſe, paucos eſſe, quibus talis methodus non adferret incommoda.

Febres in hiſce regionibus fere ſemper ſymptomata inflammationis primum exhibent; cum autem Cortex Peruvianus vigorem ſyſtematis

ſanguinei egregie augeat, certum eſt, eum hoc modo ſumptum primum febris inſultum periculoſiorem & violentiorem redditurum, quam alioquin forſan fuiſſet. Sed præterea alium malum producere effectum poteſt conſtipando corpus, atque accumulationem bilis, quæ nunquam non ſymptomata omnium morborum in calidis regionibus graviora facit, efficiendo. Si quis vero adſueſcit remedio, tam potenti, ac eſt Cortex Peruvianus, magnâ in quantitate ingerendo, quando illud non neceſſarium eſt, minorem utilitatem ab eo exſpectare poteſt, quando in periculo mortis verſatur, & ejus uſus abſolute eſt neceſſarius.

Ut igitur omne malum, quod ex uſu rei, quæ ut medicamentum adhibetur, oriri poſſet, præcaveatur, non incongruum videtur, iis, qui Cortice hoc ut remedio prophylactico utuntur, unum vel alterum hauſtum infuſi illius remedii tantummodo quovis die matutino tempore dare; quique illud præcipue opus habent, ſunt debiles, languidi, & antea remittentibus vel intermittentibus febribus laborarunt.

Temperantia, & ſtricta vivendi norma, etiam in hiſce regionibus commendatur ad ſanitatem conſervandam; ſed fatendum eſt, eos, qui hanc Inſulam inhabitant, tali modo vivere, acſi iis conſultum eſſet, *Veneri*, *vino*, *gulæ indulgere*. Nullam unquam vidi regionem, in quâ homines in genere hoſpitaliores, ac hu-

humaniores, ſunt; ac, licet forſan inter ſe differant in rebus politicis, invicem tamen conſortio ſunt uniti. Gaudium, quod ex Fortunæ donis, & induſtriæ fructibus, concipiunt, majus eſt, prout major numerus eſt eorum, quos horum participes faciunt; & hoſpitalitas, quæ *Hiberniam*, & nonnullas *Magnæ Britanniæ* partes, olim celebres faciebat, nunc ſedem fixam hic loci habere videtur. Verum obſervandum eſt, hæc omnia non ita locum habere *Kingſtonii*, quoniam incolæ hujus urbis fere omnes mercaturæ operam dant, quam in omnibus aliis hujus Inſulæ partibus. Ubi autem homines conſortia amant, & hoſpitales ſunt, raro etiam ſunt abſtemii; nam, quando conveniunt homines, ut curarum obliviſcantur, & hilares ſint, ac felicitate fruantur, ſponte ſequitur, eos omnia adhibere media, quæ facere poſſunt, ut ſe tales eſſe credant; cumque notum ſit, hunc ſcopum lautis epulis, & liquoribus exhilarantibus, obtineri poſſe, ſemper ad hæc in tali caſu confugiunt. Imo verbi Divini Interpretes, & Medici, qui temperantiam, & bonam vivendi normam, hominibus conſulunt, hoc vitæ genus tamen laudant, atque vetus proverbium, *Fac, quod dico, & non quod facio*, nullibi magis convenit.

Magnâ tamen cum admiratione videri poteſt, quam bona ſit Sanitas hominum, qui fere ſemper tam diſſolutam vitam agunt; — &,

quod adhuc majore admiratione dignum eſt, multos vidi, qui, ſtatim atque ex *Europâ* advenerant, eodem modo vitam egerunt, & quidem impune. Nemo aut ratione, aut contemplatione, his vitam, tam diu durantem, qua ſæpe fruuntur, promittere potuiſſet. Nuper *Kingſtonii* ſocietas eſt inſtituta, cui nomen *ſocietatis Europææ* datum eſt, cujusque membrum nemo eſſe poteſt, niſi qui triginta annos in hac inſulâ habitavit. Magnus autem numerus hominum, qui hoc menſe huic conventui adfuerunt, & major adhuc numerus eorum, qui, licet membra, tamen adeſſe non poterant, propter diſtantiam loci, in quo habitabant, nullum nobis relinquunt dubium, quin multi *Europæi* ad provectam valde ætatem in inſulâ *Jamaica* perveniant, dum magna Clareti quantitas, quam in hoc feſto ingerunt, nos certiores reddit, eos non eſſe aquæ potores, neque abſtinentiâ in hoc climate ſanos vivere.

Hinc forſan nonnulli credent, ſe, ſimulac huc appulerunt, absque ullo regimine, ac perinde ut alios vitam degere vident, vivere poſſe; ſed talis concluſio plane illegitima, & forſan pernicioſa, eſſet. Nam, licet incolæ, longiori in hac inſulâ morâ, potationibus & liberaliori vivendi generi adſueverint, absque ut inde aliquid mali ſibi contrahere videantur, advenientibus tamen admodum periculoſum eſſet, tale exemplum ſtatim ſequi. Verum quidem eſt, me dixiſſe,

non-

nonnullos hoc impune feciſſe; ſed hi eidem vivendi generi jam adſueti erant, antequam *Europam* relinquerent; omnes alii pedetentim, & cum cautelâ, debent progredi, multisque exponuntur periculis, antequam tam ſecuri, ac quosdam eſſe dixi, eſſe poſſunt; ac certo perſuaſus ſum, multos, nimis cito cupiditates explere volentes, vitam perdere iisdem de cauſis, quæ neceſſariæ ſunt ad hunc ſcopum obtinendum.

Idcirco temperantiam tutiſſimam & certiſſimam credo ad ſanitatem, præſertim advenarum, conſervandam in hac inſulâ, & in omnibus aliis *Indiæ Occidentalis* regionibus. Præcipue hanc obſervare debent, qui infirmâ fruuntur valetudine; ſed, quoniam plurimi huc veniunt, ut fortunam potius, quam corporis conſtitutionem, emendent, pauci tantummodo ſic ſe habent, quando ad hanc appellunt inſulam; e contrario in genere multa pati poſſent, ſi temperanter vivere vellent, atque perverſa ab iis, qui hæc ipſi transgrediuntur, data conſilia ſequi detrectarent. Multi mihi in hac inſulâ noti ſunt, qui feliciter vitam tranſigunt, moderate & temperanter viventes; & fœminæ, quæ plerumque nihil, niſi aquam, bibunt, optimâ fruuntur valetudine.

Advenæ, præterquam quod omnes in bibendo exceſſus vitare, & in genere temperanter vivere debent, diluculo e lecto ſurgere, ac bal-

neo maris uti, ſi fieri poteſt, adſuescant. Soli aut ventis, qui noctu flant, ſe, quando valde calidi ſunt, non exponant. Sed indies quando calor minimus eſt, modico ſe exercitio & frequenter occupent, neque carne in coenâ utantur, aut altero, ut hic dicunt, jentaculo. Præcipue autem curam gerere debent, ut alvus ſemper ſervetur aperta uſu fructuum & vegetabilium, vel alio, ſi neceſſe ſit, modo, quoniam nihil ſanitati conſervandæ magis obeſt in hocce climate, quam ſtricta alvus. Caveant etiam a mixturâ quadam, quam hic loci ut cardiacum bibere ſolent tempore inter jentaculum & prandium medio, & quæ componitur ex ſpiritu Sacchari vel Vini, Lacte, Aquâ, Nuce Myriſticâ, & Saccharo; quæque propter effectus ſalutares, quos producere creditur, nomen *Medici* accepit, ſed potius *Circumforanei* nomen illi tribuendum eſſet, atque ſic oblivioni vel contemptui, uti decet, traderetur.

Cæterum, qui bonâ fruuntur valetudine, non nimis anxie ſe obſervare debent, vel medicamentis ſæpe uti neceſſe habent; ſed, etiamſi ubique mortes ac morbos videant, ſemper hilares, ac bono animo ſint, neque metum futuri periculi hilaritatem, ac felicitatem, quibus gaudent, minuere ſinant. Sequi debent egregium CELSI conſilium, „ *ſanus homo, qui & bene* „ *valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet; ac neque medico neque iatroliptæ* „ *egere.*

„ *egere. Hunc oportet varium habere vitæ ge-*
„ *nus: modo ruri eſſe, modo in urbe, ſæpiusque*
„ *in agro: navigare — quieſcere interdum, ſed*
„ *frequenter ſe exercere* (*a*)".

Has tibi mitto obſervationes, qualescunque ſint, ſperans, hiſtoriam medicam hujus Inſulæ inde melius cognoſci poſſe, quam huc usque locum habuit, atque tuam indulgentiam & approbationem meorum conatuum alios, quibus plus temporis ſupereſt, & qui majori præditi ſunt peritiâ, incitaturas, ut ejusdem rei attentionem habeant, & ampliorem, ac ſcopo plenius ſatisfacientem, relationem exhibeant.

In Inſulâ *Jamaica* die
24 Aprilis 1781.

FINIS.

(*a*) *Lib.* I. *cap.* I.

INDEX.

A.

Abdomen. Tumor Abdominis, dubiæ indolis, feliciter terminatus. 15.
——— Signa Tumoris abdominalis, a ſolidâ materie orti. 18.
Acidum Vitriolicum adverſus Pſoram commendatur. 31. in Herpete etiam cum ſucceſſu fuit adhibitum. *ibid.* in Leprâ præſcriptum. 222. in ſcabie ſiccâ & humidâ a Baldingero commendatum. *ibid.*
——— ——— cum axungiâ Porcinâ mixtum unguentum elegans format. 31. ac magnâ vi adverſus cutaneos morbos pollere creditur. *ib.* 223. in Rheumatiſmo quoque ſæpe cum ſucceſſu fuit uſurpatum. 40.
Aër. Unde in tubo inteſtinali præcipue oritur. 241.
Ærugo. Ejus uſus in Tinea capitis. 120.
Aſa Foetida. Ejus uſus in doloribus Ventriculi & Inteſtinorum. 238.
Allium. Uſus ejus in hebetudine Auditus. 123.
Amenorrhœa. Obſervatio de hoc morbo. 105. cauſa ejus. 109. uſus Electricitatis in hoc morbo. 110. Rubia Tinctorum quoque commendata. 113.
Antimonium Crudum utile eſt adverſus morbos cutaneos medicamentum. 30.
Aſcites. vide Hydrops Abdominis.
Auditus hebetudo. Cauſæ hujus morbi. 120. a repulſu Tineæ ortus. 117. fonticulus in hoc morbo commendatus. 121. injectio aquæ tepidæ ad removendas obſtructiones in meatu auditorio admodum utilis. *ibid.* uſus olei camphorati. 122. picis Burgundicæ in aurem introductæ. *ibid.* Alii ſimili modo adhibiti. 123. Electricitatis. *ibid.*
Auris. Injectio aquæ tepidæ in aurem hebetudinem auditus aliquando ſanavit. 121.

BAL-

B.

Baldinger. Acidum vitriolicum in ſiccâ & humidâ ſcabie adhibuit. 222.
Balneum frigidum. Ejus uſus in Gonorrhœa 175.

C.

Calomel adverſus Lumbricos adhibitum. 249.
Camphora. Ejus uſus in Febre Remittente in Indiâ Occidentali endemia. 289.
Cancer. Hoc de morbo ſententia. 78. 81.
——— cogitata de exſtirpatione. 79. ſeq. methodus ſanandi absque operatione. 80.
——— Mammæ. Electricitas in eo tentata. 75.
——— ——— a ſcirrho diſtinctus. 78.
Cardiaca medicamenta. Quando in Febre Remittente *Indiæ Occidentalis* conveniunt. 300.
Catarrhus. Qua in re morbi hujus eſſentia conſiſtit. 45. 46.
Catarrhus Chronicus. Obſervationes de hoc morbo. 43. definitio hujus morbi. 47. quomodo frequentius mortem inducit. 48. quænam in hujus morbi curatione conſideranda veniunt. *ib.* in calidiore climate facilius fertur. 49. quæ ad curam pertinent. *ib.* ſeq.
Catarrhus Epidemicus. Febris morbi hujus ſymptoma eſſentiale videtur. 47.
Cerebrum. Quomodo hoc viſcus conſiderandum. 140. 193.
Chamæmeli Flores adverſus Vermes adhibiti. 74.
Chorea St. Viti. Convulſionis ſpecies. 202. unde frequenter oritur. *ibid.* ſeq.
Cicuta ut deobſtruens a Cl. Storckio commendata. 62.
——— in Cancro mammæ adhibita, ſed absque effectu ſalutari. 82.

Con-

Convulſio. Differentia inter hanc & Epilepſiam. 199. 201.
——— ad quænam in curatione attendendum eſt. 204.
——— uſus cupri ammoniaci in hoc morbo. 205. uſus opiatorum. *ibid.*

Cortex Peruvianus. Uſus hujus remedii in Menorrhagia. 103. in Febribus intermittentibus. 131. in Gonorrhœa. 175. in Febre remittente *Indiæ Occidentalis.* 289. 300. 304—307. quomodo ad ſanitatem conſervandam in Inſulâ *Jamaica* debet adhiberi. 307. ſeq.

Cuprum. Ejus in medicinâ uſus antiquiſſimus videtur. 11. diu pro veneno habitum fuit. *ib.* in formâ Salinâ non ſemper æque violentos edit effectus. 12. quænam ejus præparatio minimâ vi venenatâ prædita eſt. *ib.*

Cuprum Ammoniacum a pluribus in Epilepſiâ cum ſucceſſu adhibitum creditur. 6. 12. 13. magnâ cum curâ debet adhiberi. 7. 13. cum Zinci Floribus conjunctum a Cl. Odier in Epilepſiâ cum ſucceſſu fuit præſcriptum. 7.
——— ——— uſus ejus in convulſionibus. 205.

Cutis. Obſervationes de quodam cutis morbo, externo Mercurii Sublimati Corroſivi uſu feliciter ſanato. 24.
——— morbi. Ad quot genera referri poſſunt. 26. quare repulſio cutanearum eruptionum periculoſa eſt. 29. quomodo hoc præcaveri poteſt. 30. Acidum Vitriolicum in morbis cutaneis quibusdam commendatur. 31.

Cynosbati fructus. Ejus conſerva a nonnullis valde commendatur ad Mercurium exſtinguendum. 62.

D.

Dawsonius in Rheumatismo & Arthritide Tincturam Guajaci volatilem commendat. 37.

Diarrhœa. Morbi hujus definitio. 152. curandi methodus. 153. obſervatio. 148.

Diuretica. Quare diutius, quam Cathartica, in Hydrope adhiberi poſſunt. 21.

Dolor unde oritur. 189.
Dyſenteria. Morbi hujus definitio. 150.
Dyſphagia. Obſervatio hujus morbi. 132. a SAUVAGESIO variæ ejus ſpecies deſcribuntur. 135. earum cauſæ. *ibid.* cauſa morbi hic deſcripti. 136. ſeq. 191. Electricitatis in eo uſus. 139.

E.

EASON. Electricitatem in Cancro commendavit. 81.
Elaterium. Salutaris effectus hujus remedii in Hydrope. 108.
Electricitas. Ejus actio ac vis. 139.
Electricitas. Quando utilis in Rheumatismo Chronico. 36.
—— uſus ejus in Cancro. 75. ab EASON in hoc morbo commendata. 81. effectus. *ib.* ſeq.
—— in Amenorrhœa. 110.
—— in hebetudine auditus. 123.
—— in dyſphagia. 139.
—— in Paralyſi. 146.
—— in diminuendâ morboſâ ſenſibilitate. 193. ſeq.
Elixir Guajacinum Volatile. Quando utile in Rheumatismo Chronico. 36. 41.
—— qua in re a Tincturâ Volatili Collegii *Londinenſis* differt. 38.
—— Simplex. Ejus dotes. 42.
Emetica. Quare hæc in Catarrho Chronico utilia. 49. quid de eorum uſu in Febre Remittente *Indiæ Occidentalis* ſentiendum. 287. 299.
Ens Veneris. In quibusnam caſibus a BOYLEO commendatur. 12.
Epilepſia. Obſervationes de Epilepſiâ, uſu Cupri Ammoniaci ſanatâ. 1.
—— differentia inter hunc morbum & Hyſteriam. 3.
—— eſt morbus hæreditarius. 4. & plurimi putant, illum contagione propagari. *ib.* aliquando, ex Actoris ſen-

ſententiâ imitatione propagatur. 5. ſemper eſt refractarius. *ib.* duobus modis curatio tentari poteſt. 10.
——— inuſitata ſalivæ excretio ante Epilepſiæ inſultum obvia. 209.
Expectorantia remedia an dentur. 50.

F.

Febris Intermittens. Obſervationes de ſymptomatibus anomalis, a Febre Intermittente orientibus, Cortice Peruviano tractatis. 124.
——— ——— Varietates hujus morbi. 129. cauſæ. *ibid.*
Febris Remittens. Obſervationes de Febribus Remittentibus in *Indiâ Occidentali* endemiis. 281.
Filix Mas. Pulvis radicis Filicis Maris adverſus Tæniam exhibitus. 252. 255.
Fonticulus. Ejus uſus in Catarrho Chronico. 49. in paralyſi. 147.
Fulmen. Ægra fulmine a cancro ſanata. 81.

G.

Geoffrea Inermis. Decoctum corticis adverſus Vermes commendatur. 249.
Gonorrhœa. Obſervatio de hoc morbo. 155. Sanandi methodus hic adhibita. 173. ſeq.
——— num ab eadem contagioſâ materiâ ac Syphilis pendet. 157.
——— Argumenta allata ad probandum, virus Gonorrhœæ & Syphilidis idem eſſe. 158. ſeq. eorum examinatio. 159. ſeqq. argumentorum, contrarium probantium, examinatio. 165. ſeqq. Sanandi methodus differt a Syphilidis curatione. 157.
——— Aliquoties morbus hic ſe diu poſt receptum contagium prodit. 162.

Go-

Gonorrhœa. Adſtringentia aliquando perperam in hoc morbo adhibentur. 164.
Graafius. Diſſertatio ejus inauguralis de Petechiis ſine Febre. 66.
Guajacum. Ejus uſus in ſanandis doloribus Rheumaticis & Arthriticis. 36. unde pendet ejus vis. 37.
Gummi Gutta forſan non tantum catharticum, ſed etiam Tæniæ venenum eſt. 256.

H.

Hæmoptyſis. Obſervatio de Hæmoptyſi. 224. hanc ſemper tuſſis comitatur. 228. ſed diverſos habet gradus. *ibid.*
Hæmorrhoides. Obſervationes de hoc morbo. 83. ſymptomata hujus morbi. 84. ſeq. diſtinctio hoc in morbo locum habens. 85. unde hæmorrhagia oritur. *ibid.* quosnam hic morbus plerumque adoritur. 86. cautelæ in curatione adhibendæ. 88. ſeqq.
Hepar. Morbus ejus visceris. 52. unde probabiliter natus. 59. quomodo curatio tentanda. 60. ſucceſſus methodi adhibitæ. 63.
Herpes. Quinam morbi Herpeti ſunt annumerandi. 27. uſus acidi Vitriolici in Herpetici generis morbo. 222.
Herrenschwand. Ejus adverſus Tæniam remedium. 257.
Hydrocephalus Cranii. De hoc morbo obſervatio. 176. in infantibus rarus dici non poteſt. 178. ejus natura. *ibid.* diviſio. 179. 180. diſtinctio Cl. Sauvagesii. 180. ad quænam in curatione attendum eſt. 184. diverſæ opiniones de perforatione cavitatis, quæ aquam continet. *ibid.* ſeqq. veſicatoriorum in hoc morbo uſus. 186.
Hydrocephalus Ventriculorum. Aliquando hic morbus fuit ſanatus. 181.
Hydrops. Salutaris effectus Elaterii in hoc morbo. 108.

Hy-

Hydrops abdominis. Ejus ſigna. 17. quibusnam circumſtantiis Fluctuatio aliquando non obſervatur. 19. qua in re maxima pars curationis hujus morbi conſiſtit. 22. num in eo paracentheſis convenit. 185.
Hyſteria aliquando imitatione propagatur. 5.

J.

Jalappæ Tinctura adverſus Lumbricos adhibita. 249.
Jamaica. Atmoſphæræ ſtatus. 296. ſeq. calor ibi aliquando eſt intolerabilis. 283. gradus caloris per aliquot dies obſervati. 284. calor & quædam proprietates aliæ aquæ in Thermis *Bathonienſibus* in hac inſulâ. 297. Vivendi modus hic conſuetus. 308. — 313. Europæi hic habitantes ætatem valde provectam nonnunquam attingunt. 310. methodus ſanitatem hic conſervandi, 307. — 313. Febres hic jure Proteiformes dicuntur. 285. 299. nonnunquam cito lethales ſunt. *ibid.* ſymptomata in nonnullis obvia. 186. methodus medendi. 287—295. 299—307.
Imitatio. Hæc nonnunquam cauſa eſt Epilepſiæ & Hyſteriæ. 5.
Influenza. Qua in re eſſentia hujus morbi conſiſtit. 46.
Inteſtina. Obſervatio de gravibus periodicis doloribus Inteſtinorum. 206. utilitas pilularum Gummoſarum in hoc caſu. 211.
——— ——— de violentis inteſtinorum doloribus. 237. unde orti erant. 240.

K.

Kino. Gummi hujus vires. 154.

L.

Labium. Labii ſuperioris intumeſcentia ſymptoma Vermium in inteſtinis nidulantium nonnulli dicunt. 248.
Lepra. Quinam morbi Lepræ ſunt annumerandi. 28

Lepra. Obſervatio de pertinaci Affectione cutaneâ ad Lepræ genus pertinente. 213. morbus eſt obſtinatus. 218. unde oritur. 220. quibus remediis ſanatio exſpectanda. *ibid.* mercurialium uſus in hoc morbo. 221. 224. uſus Acidi Vitriolici. 222.
Lienteria. An morbus a Diarhœâ diverſus dici debeat. 151.
Linum. Seminum Lini infuſi uſus in Gonorbœâ. 173.
Liquores ſpirituoſi frequenter admodum Hepatis morbos producunt. 59.
Lumbrici. Obſervationes de Lumbricis, in tubo inteſtinali nidulantibus, Calomelane, & Tincturâ Jalappæ, eliminatis. 245.

M.

Manus. Obſervatio de morboſâ unius manus ſenſibilitate. 187.
Menorrhagia. De illa obſervationes. 91. diſtinctio hujus morbi. 94. unde oritur. 95. ſeqq. medendi methodus. 103. ſeqq.
Mercurius. Egregium eſt deobſtruens. 61.
——— quando in Rheumatiſmo Chronico utilis. 36.
——— uſus ejus in Hepatis ſcirrho. 52. ſeqq.
——— ——— ſanandâ Leprâ. 221.
Mercurius ſublimatus corroſivus omnium acrium Mercurii præparationum potentiſſima eſt. 221. uſus hujus remedii in Tineâ capitis. 114. 119. in morbo quodam cutaneo. 24. quando lotio mercurialis in morbis cutaneis commendanda. 30. ſeq.
Motus jactura unde in Paralyſi oritur. 145.

N.

Nervi. Eorum ſenſibilitas unde pendet. 193.
——— quo modo adaucta ſenſibilitas ad naturalem ſtatum redigenda eſt. 193.

Nitrum, Ejus cum Gummi Arabico uſus in Gonorrhœâ. 173.

Noſocomia. Quot ægri plerumque in Noſocomiis Europæis ex certo quodam numero moriuntur. 282.

NOUFFER. Ejus adverſus Tæniam remedium. 255.

O.

ODIER, Medicus *Geneyenſis*, Cuprum Ammoniacum cum Floribus Zinci in Epilepſiâ cum ſucceſſu adhibuit. 7.

Oleum Camphoratum. Uſus ejus in hebetudine auditus. 122.

Opiata. Eorum uſus in convulſionibus. 205.

P.

Paralyſis. Obſervatio de hoc morbo. 142. cauſa ejus. 145.

Petechiæ absque Febre. Obſervatio hujus morbi. 63. qualem & GRAAFIUS obſervavit, ac deſcripſit. 66.

Petechianoſos. Animadverſiones de hoc morbo. 70. ejus cauſæ. 71. curatio Cortice Peruviano & Elixirio Vitrioli facta. 74.

Phthiſis. Hujus morbi ſigna. 231. ſeq.

Pilulæ Cæruleæ in Epilepſiâ adhibitæ. 2. qua in re earum vis ſita eſt. 11.

Pilulæ Gummoſæ. Earum uſus in gravibus periodicis inteſtinorum doloribus. 211.

Pisces. Piscium eſus morborum cutaneorum cauſa eſt. 219.

Pix *Burgundica* in aurem introducta ad auditus hebetudinem ſanandam. 122. cautelæ tunc adhibendæ. *ibid.* remedium hoc in tali caſu non commendandum eſt. *ibid.*

— ——— methodus, quâ præparatur, haud ſatis certa eſt. 122.

— Picis Emplaſtro perfecte curata Tinea capitis. 119.

Rheu-

R.

Rheumatiſmus. Affectio Rheumatica uſu Elixirii Guajacini Volatilis ſanata. 32.
———— duo habet ſtadia, quæ diverſis nominibus deſignantur. 34.
———— Chronicus unde veriſimiliter penet. 36. remedia adverſus hunc morbum. *ibid.* a quibusdam Medicis magna affinitas hunc morbum inter & Paralyſin ponitur. 39.
Rubia Tinctorum commendata in Amenorrhœa. 113.

S.

Sal Glauberi. Ejus uſus in Gonorrhœâ. 174.
Saliva. Inuſitata ſalivæ excretio dolorem inteſtinorum præcedens. 209. ante Epilepſiæ inſultum obvia. *ibid.*
Sanguis. Experimenta a Cl. Hewsono circa ſanguinem inſtituta. 72. ſeq.
———— ſurſum & deorſum evacuatus in quodam Hepatis morbo 57.
Scilla. Uſus hujus bulbi in Catarrho Chronico. 50.
Scirrhus a Cancro diſtinctus. 78.
Senſibilitas morboſa unde pendet. 140.
———— Obſervatio de morboſâ ſenſibilitate unius manus. 187. aliæ nimiæ ſenſibilitatis exempla. 191.
———— Nervorum. Unde pendet. 193. quomodo adaucta ſenſibilitas ad naturalem ſtatum redigenda eſt. *ibid.*
Setaceum. Ejus uſus in Catarrho Chronico. 49.
Storck Cicutæ egregie deobſtruentes vires adſcribit. 62.
Strammonium ut deobſtruens a Cl. Storckio commendatum. 62.
Syphilis. Num hic morbus eâdem contagioſâ materiâ, ac Gonorrhœa, oritur. 159. ſeqq. an vero producitur a materiâ contagioſâ, diverſâ ab eâ, quæ Gonorrhœam producit. 165.

Syphilis Aliquando diu poſt receptum contagium ſe prodit 162.
——— diu ante notam Gonorrhœam obſervata fuit. 166. nec ante *Americam* detectam. *ibid.*

T.

Tænia. Obſervatio de Verme ex Tæniarum genere, quinquaginta circiter pollices longo, e canali inteſtinali radice Filicis Maris pulveriſatâ, dato dein cathartico, eliminato. 250. Symptomata, quibus ægra fuit afflicta; 251. catharticum ad Tæniam expellendam uſurpatum. 252.
Thermæ. Calor aquæ in Thermis *Bathonienſibus* in Inſulâ *Jamaica.* 297.
Tincturá Guajaci Volatilis adverſus Rheumaticos & Arthriticos dolores ſæpe adhibetur. 37. quid de hoc medicamento ſentiendum. 38.
Tinea capitis. Ejus repulſu auditus hebetudo orta. 117.
——— ſedes hujus morbi. 119. quomodo ſanari poteſt. 118. picis emplaſtro perfecte curata. 119. ut & Mercurio ſublimato corroſivo. *ibid.* æruginis in hoc morbo uſus. 120.
Tuſſis Hepatica. Cauſa hujus explicata. 56.
——— hæmoptyſin ſemper comitatur. 228. ſed diverſos habet gradus. *ibid.*
Tympanites. Quædam ejus morbi ſigna. 18.

V.

Venæ ſectio. Quid de hac in Febre Remittente in *Indiâ Occidentali* ſentiendum. 288. 299.
Ventriculus. Obſervationes de violentis doloribus Ventriculi. 237. unde orti erant. 240.
Vermes in corpore humano ex ovis, in illud introductis, proveniunt. 248.

Ver-

Vermes in *Scotia* rarius, quam in aliis regionibus, & rarius nunc, quam olim, occurrunt. 20.
——— quare in affectionibus febrilibus ſæpe prodeunt. 20. Flores Chamæmeli adverſus eos adhibiti. 74. alia adverſus vermes remedia. 249.
——— quare eorum ſymptomata præcipue tempore verno obſervantur. 248.
Veſicatoria. Eorum, ut Fonticuli, uſus in Hydrocephalo. 186.
Vinum. Ejus uſus in Febre Remittente *Indiæ Occidentalis*. 301. in magnâ dari debet quantitate. 302. ſed tamen aliquando magnâ cum cautelâ, & parvâ admodum quantitate. 303.

Z.

Zinci *Flores*, cum Cupro Ammoniaco conjuncti, a Cl. Odier in Epilepſiâ cum ſucceſſu ſunt adhibiti. 7.

ERRATA.

Pag. 22. lin. 27. contingiat lege contingat. 35. l. 28. fuerit. l. fuerat. 44. l. 14. centinuentus l. continuentur. 48. l. 29 quiæ. l. quæ. 81. l. 8. experiendi l. experiri. 85. l. 20. hæmorrhoide l. hæmorrhoides. 98. l. 6. nihi l. mihi. 144. l. 5. 19mo l. 19no. 50. l. 9. cepit. l. cœpit. 196. l. 16. ſommum l. ſomnum. 211. l. 10. proxysmorum l. paroxysmorum. 226. l. 17. pecepiſſe. l. percepiſſe. 235. l 10. nimime l. minime. 238. l. 14. induerunr. l. induerint. 286. l. 7. ſommo l. ſomno. 306. l. 11. primiæ. l. primæ.

LIBRI MEDICI

qui inveniuntur

IN BIBLIOPOLIO

LUZAC ET VAN DAMME.

Acta Soc. med. Havnienſis, Havniæ 1772. 2 vol. 8vo. *f* 3 : 12 : 0

Cullen (G.) primæ Lineæ prax. med. Lugd. Bat. 1778. 8vo. 1 : 4 : 0

——— ——— pars 2da ſequetur.

Haen (A. de) Prælectiones in H. Boerhave Inſtitutiones pathologicas ed. F. de Waſſerberg, Viennæ 1780. 5 vol. 8vo. 12 : 16 : 0

Haller (A.) de Partium Corporis humani præcipuarum Fabrica & Functionibus, Lugd. Bat. 1779. 8vo. . . 17 : 0 : 0

——— ——— idem Liber tom. 9 &c. ſeq.

——— ——— Bib. Bot., Tiguri 1771. 2 vol. 4to. 13 : 5 : 0

——— ——— primæ Lineæ Phyſiologiæ, Goett. 1780. 8vo. 2 : 10 : 0

Hedwigii (J.) Hiſtoria nat. Muſcorum Frondoſorum, Lipſiæ 1782. c. fig. 4to. . . . 5 : 0 : 0

Hulme (D.) Methodus curandi Calculum Scorbuticum, Podagram &c. L. Bat. 1778. 8vo. . . . 0 : 8 : 0

Jacquin (N. J.) Miscell. Auſt., ad Bot., Chem. & Hiſt. nat. ſpectantia, Vindob. 1778-1781. 2 vol. c. fig. illum 4to. 25 : 0 : 0

Jadelot (N.) Phyſica Hominis Sani, ibid. 1782. 8vo. 1 : 0 : 0

Leber (F.) Prælectiones anatomicæ, ibid. 1778. 8vo. 2 : 0 : 0

Marherr (P. A.) Prælectiones in H. Boerhave Inſtitut. med. cum Præfat. Cranzii, ibid 1772. 3 vol. 8vo. . . . . 7 : 5 : 0

Milmanni (F.) Animadverſiones de Natura Hydropis. Viennæ 1779. 8vo. . . . 1 : 4 : 0

Morgagnus (J. B.) de Sedibus & Cauſis Morborum cum Ind. & Præfat. S. A. D. Tiſſot. Ebrod 1779. 3 vol. 4to. . 12 : 0 : 0

Neuman (J. F. W. de) Neglectus Emeticorum, Pragæ 1781 8vo. . . . . 0 : 16 : 0

Oeſterreicher (J. M.) Analyſes Aquarum Budenſium, Viennæ. 1782. 8vo. . . . . 2 : 15 : 0

Pini (H.) de Venarum Metallicarum Excoctione, ibid. 1780. 2 vol. c. fig. 4to. . . . . 11 : 6 : 0

Plenk (J. J.) de Morbis Venereis, Viennæ 1779. 8vo. 0 : 16 : 0

——— ——— Compendium Inſtitutionum chirurgicarum ed nova, ibid. 1780. 2 partes 8vo. . . . 2 : 0 : 0

Plenk

Plenk (J. J.) Pharmacia chirurgica ed. nova, Viennæ 1780, 8vo. f1 : 9 : 0
—— —— Elementa Artis Obſtetriciæ, ibid. 1781. 8vo. 1 : 10 : 0
—— —— —— Med. & Chir. forenſis, ibid. 1781. 1 : 5 : 0
Prochaska (G.) Diſſertatio de Urinis, ibid. 1776. 8vo. 0 : 4 : 0
—— —— de Carne Muſculari, ibid. 1778. 8vo. 1 : 0 : 0
—— —— Controverſæ Quæſtiones philologicæ, ibid 1778. 8vo. 0 : 18 : 0
—— —— de Structura Nervorum, ibid. 1779. 8vo. 1 : 0 : 0
Quarin (J.) de curandis Febribus & Inflammationibus, ibid. 1781. 8vo. 2 : 0 : 0
Rechberger (A. J.) de Vecte emendato, ejusque Uſu & Utilitate in Arte Obſtetricia, ibid. 1779. 8vo. 0 : 9 : 0
Schaeffer (J. C.) Elementa Ornithologica Iconibus vivis Coloribus expresſis illuſtrata, Ratisb. 1774. 4to. 40 : 0 : 0
Stoll (M.) Ratio medendi, Vindob. 1780. 3 vol. 8vo. 6 : 10 : 0
Stork (A. L. Bar. de) Præcepta med. pract. in Uſum Chirurgorum Caſtrenſium, ibid. 1777. 2 vol. 8vo. 2 : 12 : 0
Trnka de Krzowitz (W.) Hiſtoria Febrium Intermittentium, ibid. 1775. 8vo. 3 : 4 : 0
—— —— —— Commentarius de Tetano, ibid. 1777. 8vo. 2 : 0 : 0
—— —— —— —— de Diabete, ibid. 1778. 8vo. 0 : 14 : 0
—— —— —— Hiſtoria Cophoſeos & Baryecoiæ, ibid. 1778. 8vo. 1 : 0 : 0
—— —— —— —— Amauroſeos, ibid. 1781. 2 vol. 8vo. 2 : 16 : 0
—— —— —— —— Leucorrhœæ, ibid. 1781. 2 vol. 8vo. 1 : 18 : 0
Vigiliis (S. H. de) Bibliotheca chirurgica, ibid. 1781. 2 vol. 4to. 16 : 0 : 0
Wallerii (J. G.) Syſtema mineralogicum quo Corpora mineralia fig. æneis &c. illuſtrantur, ibid. 1778. 2 vol. 8vo. 7 : 0 : 0
Waſſerberg (F. de) Inſti. Chemiæ, ib. 1778. 3 vol. 8vo. 5 : 8 : 0
Werniſchek (J.) medendi Norma ad dignoſcendas evellendasque ipſas morborum Cauſas, ibid. 1780. pars 1a. 1 : 8 - 0
Werneri (P. F. C.) Vermes Inteſtinales, præſertim Teniæ Humanæ, Lipſiæ 1782. 2 partes c. fig. 8. 1 : 12 : 0
Weisz (J.) Tentamen Pyretologiæ practicæ ed nova, Viennæ 1783. 8vo. 1 : 4 : 0

Traité ſur le Vénin de la Vipere, ſur les Poiſons Americains, ſur le Laurier-Ceriſe, & ſur quelques autres Poiſons végétaux: par Mr. F. Fontana, Florence 1781. 2 *vol. av. fig.* 4°. 12 : 0 : 0